JOSEPHI

MARIANI PARTHENII

ELECTRICORUM

LIBRI

VI.



ROMAE

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI

AN. CIↄ. IↄCC. LXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.



DEIPARAE VIRGINI

SINE MACULA PECCATI ORIGINALIS CONCEPTAE

AC SS.

JOSEPHO JESU CHRISTI NUTRICIO

IGNATIO LOJOLAE

SOCIETATIS JESU FUNDATORI

FRANCISCO XAVERIO

INDIARUM APOSTOLO

ALOYSIO GONZAGAE

STUDIOSAE JUVENTUTIS PATRONO

SE ATQUE OPELLAM HANC SUAM

J. M. P.

VOLENTI LIBENTIQUE ANIMO

D. D. D.



Altum aliis exurgat opus. tu nocte dieque
Exiguum meditator; ubi sint omnia culta,
Et visenda novis iterumque iterumque figuris.

Hieronymus Vida Poeticorum lib. 2. v. 339.

PHI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. J. Patr. Antioch. Viceſg.

APPROBATIONES.

ELectricorum libros ſex diligenter libenterque perlegi, & Rmo ſcilicet Patri S.P.A. Magiſtro, & animo obſecutus meo, cum mirifice hoc Poëmatum genere capiar ac oblecter, ſi praeſertim ad doctrinam concinnitas carminum, ac elegantia latini ſermonis accedant. Quibus partibus cum praeclare hoc opere ſit ſatisfactum, ſi hos etiam ingenii ſui foetus celeberrimus Scriptor in publicam utilitatem contulerit, & ſui nominis famam amplificaturum, & optime de re litteraria meriturum exiſtimo. Typis igitur edendos cenſeo, neque quidquam in iis eſſe, quod Religioni boniſque moribus adverſetur. In quorum fidem &c.

Romae x. Januarii MDCCLXVII.

Benedictus Stay SSmi Domini Noſtri ab intimo Cubiculo, & ab Epiſtolis latinis.

Jussu Reverendissimi P. Sac. Pal. Apost. Magistri sex Electricorum libros maxima cum animi oblectatione perlegi, nihilque, quod Religioni bonisque moribus adversetur, inveni. Opus sane perdifficile laudatissimus Author aggressus mira doctrinae, ingeniique dexteritate absolvit. In Carminibus elegantia, dignitas, nitorque latini sermonis ita elucet, ut ea omnia elaborate scripta inspiciantur, quae in summis latinae Poëseos Magistris majori cum laude celebrantur. Dignissima itaque ea censeo, ut communi Litterarum bono in lucem prodeant, meritoque apud omnes Authoris famam adaugeant.

Romae xv. Januarii MDCCLXVII.

Josephus Brogi Sac. Theologiae Doctor, & Arcadiae Custos Generalis.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magister.

EDI-

EDITOR OPERIS

LECTORI BENEVOLO.

E*Lectricorum Opus a Parthenio nostro susceptum, & summo studio ac labore confectum, publicam utique lucem minime aspexisset, si auctori arbitrio uti suo concessum foret. Ajebat enim, se publicam lucem vereri quam maxime, & doctorum hominum judicia vehementer formidare; quae scripsisset, primum exercendi styli gratia scripsisse, tum ut ei suppeteret, unde aliquid in gymnasio, anno scholastico ineunte, ad coronam de more recitaret. Neque vero plausus, quibus haec ipsa carmina a lectissima doctorum virorum frequentia excepta sunt, auctorem admodum movebant, ut animum ad eadem edenda induceret; quippe qui affirmaret, aliud esse auribus; aliud vero oculis satisfacere, qui in rebus discutiendis judicandisque longe auribus acriores, & severiores esse plerumque solent. Haec, & his similia causabatur auctor, quo opus ipse suum apud se suppressum haberet; nec illud publici juris fieri pateretur. Verum haec vulgo*

rejecta, uti nullum apud aequos rerum aestimatores pondus habuerunt, ita omnem auctori repugnandi facultatem ademerunt. Quare aliis, quorum in hoc scribendi genere judicia magni facere consuevit, nec defugere auctoritatem potuit, morem gerere coactus est. Itaque opportunam a schola, in qua totos viginti septem annos in erudiendis adolescentibus consumpsit, nactus vacationem, & de edendo opere cogitavit, & opus ipsum summa, quoad ejus fieri potuit, cura diligentiaque perpolivit. Sublato hoc, de quo diximus, obstaculo, restabat alterum non minori utique difficultate removendum. Adnotationes enim, cane pejus & angue, ut est in veteri proverbio, aversabatur; quas nimirum ajebat, scriptoris, qui earum lumine indigeret, obscuritatem & quasi noctem quamdam rebus offusam indicare; se id unum laborasse semper, ut maxime perspicuus esset; & maluisse humilem & minus politum in scribendo, quam obscurum, aut minus dilucidum videri; praeterea, ita se in conficiendo philosophico hoc suo poemate gessisse, ut horatianum illud sequutus, quae tractata nitescere posse desperaret, omnino relinqueret. Verum, cum in opere ipso identidem non nulla loca occurrant; atque ea praesertim, in quibus aut amicos suos laudat suppresso no-

que

mine, aut aliud quidpiam tacite indicat; quae quidem loca, etiam sine scriptoris vitio, natura sua obscura sunt, atque illustrationis omnino indigent; tandem ab amicis persuasus hac quoque in re aliorum cessit voluntati, & paucas operi suo adnotationes apponi permisit. Ego itaque, cui edendi operis cura demandata est, has ipsas adnotationes elucubratus sum, in quibus mihimet ipse modum adhibui, ut, & amico ita volenti obsecundarem; & revera, ne operi, per se claro atque perspicuo, frequentioribus adnotationibus, tenebras potius offunderem, quam lumen aliquod afferrem. Jamvero, ut de opere ipso pauca quaedam, de quibus praemoneri lectorem necesse est, a me delibentur; hic ego non meum utique judicium interponam; sed, re cum auctore communicata, quid ipse hac in sua elucubratione sequutus sit, breviter, uti ab eodem accepi, ac fideliter exponam. Ac primum; opus hoc, quod tibi exhibetur, benevole Lector, & philosophicum est, & poeticum; ex duplici nempe facultate, Philosophia videlicet, ac Poesi temperatum. Jam quod ad Philosophiam attinet; is rerum versibus exponendarum delectus habitus est, ut ea tantum, quae minus asperitatis, amoenitatis vero plurimum haberent, deligerentur. Neque enim Poeta noster in secretio-

ra materiae , quam tractat , penetralia ingrediendum sibi esse duxit ; quin immo consulto ab iis abstinuit, quae paulo implicatiora ei inter scribendum occurrebant ; atque adeo ultro etiam ab illis obtrudebantur , qui nunquam experti quid sit aliquid poetice atque eleganter efferre , ab auctore malebant tractatum conscribi , quam poema confici . Haec enim natura sua hujusmodi sunt , ut poeticum ornatum , de quo Poetam sollicitum maxime esse debere nemo ignorat , vix ullum admittant . Quare iis tantum rebus contentus fuit, quae notitiam quandam materiae, quam non philosophica ratione tractandam , sed poetico more carminibus exornandam suscepit , afferrent ; ut potius , qui hoc opus lecturi sint , quid vis electrica sit , omnino non ignorent , quam, quid re ipsa sit , penitus intiminsque cognoscant . Saepe enim auctorem ipsum propalam affirmantem audivi ; qui hanc Physicae partem multo recentissimam nobilissimamque , nosse voluerit , eum profecto , si sapiat , neque se , neque poetam scriptorem quemquam ; sed tot clarissimos viros aditurum , qui de illa suis in libris luculentius uberiusque scripserunt . Hinc porro effectum est , ut saniori judicio , omissis , quae fastidium aliquod creare possent , voluptati magis , quam legentium eru-

eruditioni sibi esse serviendum auctor existimarit. Et sane qui Poetas legunt delectari volunt, non erudiri. Hoc & ipse Virgilius fecit, quem sibi unum atque unicum Poeta noster ad imitandum proposuit; Virgilius inquam, qui in divino illo suo Georgicorum opere, studiose ea conquisivit, quae legentium animos incredibili quadam suavitate delinitos tenerent; & materiem per se jucunditatis amoenitatisque plenissimam, multo jucundiorem amoenioremque efficerent. Itaque, delibatis tantum Agriculturae praeceptis, plurimos sibi aditus patefecit ad illos, quibus totum opus mira varietate distinguitur, excursus; hi vero, qui multo potissimam pulcherrimi illius operis partem sibi vindicant, delectant, non erudiunt; illo saltem eruditionis genere, quod spectari debuit ab eo, qui agrorum colendorum magistrum se ac ducem professus sit. Quare prudenti utique consilio, siquis gnavus atque experiens agricola cupiat evadere, is profecto non Virgilium; sed Varronem, Columellam, Palladium, Catonem, aliosque hujus generis ac famae praecellentes scriptores leget, ac diu multumque meditabitur; quo facto, tum demum aliquid, quod ad agrorum culturam perdiscendam conducat, assequetur. Si uno Virgilio contentus erit, parum hercle proficiet; & male profecto Agri-

cul-

culturae consultum esset, si utilissima ac plane necessaria ars virgilianis tantummodo praeceptionibus contineretur.

Haec sunt, de quibus Poeta noster Lectorem suum praemonitum voluit; his ego quidquam de meo non addam; & tantum illos, quorum in manus hoc opus venire contigerit, rogabo, ut ita se in ferendo de auctore nostro judicio gerant, uti se in opere suo auctorem ipsum gesisse comperient; qui, quantum de se moderate sentit, tantum de aliis honorifice scribit; quippe qui in eam peccare partem semper maluerit, quae plus fortasse cujusquam virtuti tribueret; quam in alteram, quae quidquam cuiquam de merita laude atque existimatione detraheret.



ELE-

ELECTRICORUM

LIBER I.

UNde latens ſuperas virtus educta ſub auras *Operis propoſitio.*
Prodierit, clarum cui fecit ſuccina nomen
Gemma, atque eventus varios, compertaque nuper,
Et miris viſenda modis ſpectacula; nec non
Quae ratio, & tantis quae cauſa eventibus inſit,
Hinc canere incipiam. Precor huc, Heliconides almae, *Invocatio Muſarum.*
Linquentes patrium lauri nemus, & juga Pindi,
Huc o ferte pedem, & durum mollite laborem.
Res eſt impatiens tractari carmine, & exlex,
Quam meditor, divae, numeris includere veſtris.
Vos mores lenite feros, & vincite cultu
Difficilem; facite, ornatus induta vetuſtos
Aſſueſcat latio antiquo; laus unde petenda,
Aeternumque decus, ſiqua eſt ea cura, poëtae.
At tu, cui juſſo parent cita ſidera curſu, *Invocatio Uraniae.*
Et nitidi, Uranie, caeli eſt plaga ſubdita, qua non
Aonias inter ſollertior ulla ſorores
Scrutari, & rerum ſecretas quaerere cauſas;
Si longum vanis quaeſita laboribus alto *Cur potiſſimũ Urania invocetur.*
Certa polo nobis miſiſti ſigna, latentis

Pri-

Primum unde ostensa est tantae virtutis origo;
Nunc ades; ingenti quando novitatis amore
Capta, atque eximiae succensa cupidine laudis
Mens ardet superas efferre in luminis oras
Quidquid id est, quod difficilis, prodique repugnans
Occuluit natura diu mortalibus, atram
Offundens rebus noctem, caecasque tenebras.
Sic tibi, sic faveat Phoebus; sic lucidus aethra
Syderea pateat semper polus; actaque in orbem
Perpetuas agitent famulantia signa choreas.

Electrum gemma nobilis.

Electrum (*a*) gemma est, quam sors Phaëtontis acerba,
Et lacrymae Heliadum claram fecere sororum
Eridani ripa in magni; qua decidit alto
Infelix auriga polo; mersusque sub undas
Edidit audaci documentum insigne juventae.
Aureus est gemmae fulgor; jacit aurea late
Lumina; translucet fulvo non discolor auro.
Quod vero radiis (*b*) etiam nitet aemula solis,
Inde olli nomen Graji fecere vocantes.

Virtus ab electro dicta est electrica.

Hinc virtus quaedam, quam vestigare sagaci
Nunc studio aggredimur, dicta est *electrica*; inesse
Quandoquidem electro patuit primum. Hoc tibi siquis
Cre-

(*a*) Vide Ovidium Metamorph. lib. 2. v. 365., ubi totam Heliadum fabulam fuse narrat, atque exponit: aitque; *Inde fluunt lacrymae, stillataque sola rigescunt De ramis electra novis, quae lucidus amnis Excipit, & nuribus mittit gestanda latinis.*

(*b*) Non desunt, qui electri vocabulum ab ἠλέκτωρ, nempe sol, derivent, propterea quia solis fulgorem electrum refert.

Creber utraque manu terat, atque ignescere cogat, *Proprietas electri.*
Extemplo plumasque leves, stipulasque volantes
Pertrahere ad se se cernes, nexasque tenere.
Haec prima exstiterunt, priscis quoque nota, trahentis *Prima indicia virtutis electricae.*
Virtutis documenta. eadem sed condita nocte
Se longum tenuit, latebrisque obscura recessit. *Virtus electrica diu latuit.*
Nondum tot stimulos humanis mentibus ardor
Aemulus addiderat; nondum succensa cupido
Ignotas tentare vias, penitusque repostos
Naturae penetrare sinus; sed, semita qua se
Trita dabat, ritu balantum, ignobile vulgus
Illac tendere iter, notoque insistere calle.
Tempore sic longo cessatum; & inertia torpor
Corda hominum tenuit; nil dignum laude retectum,
Et nulla antiquis accessio facta repertis.
Ergo diu virtus miranda, ut plurima, caeca
Abdita delituit, nigrantique obsita nocte;
Vulgo neglecta, & vix tantum cognita parvis
Indiciis; vires mox acquisivit eundo,
Paulatim emergens; donec, labentibus annis,
Et vigili cura, studioque excita minorum *Nunc vero potissimum emersit.*
Prodiit; & caelo se tandem ostendit aperto.
Nec vero vim miram aliquot comprendere tantum
Corpora; sed longe fusam, lateque vagantem *Virtus electrica late diffunditur.*
Per mare, per terras, liquidique per aetheris oras,
Naturam ferme compertum est ire per omnem.

Non-

Nonne vides, tenuem ut frictu calefacta papyrum
Cera hispana electrica est. Cera sibi jungat, cui fecit Iberia nomen?
Multo sive illam minio prior ipsa rubentem
Extuderit, seu prima aliis ostenderit usum.
Hoc pacto, attritu si corpora multa frequenti
Tute fatigabis, sibi res conjungere raptas
Continuo aspicies, eademque eventa notabis.

Indicia virtutis electricae. Jam quibus indiciis se nobis abdita virtus
Haud dubiis prodat; neque enim sunt pauca, docebo.
Attritu valido si corpora certa calorem
Attractiones, & repulsiones. Concipiant, primum tenuissima multa videbis,
Si forte occurrant, adduci; ac deinde repelli.
Scintillae, & lux varia. Tum variae lucis formae; cita fulgura, splendor
Clarus, scintillae crepitantes, lucidus igni
Interdum fons emissus, saliensque sub auras,
Rumpentumque tubis jactus imitatus aquarum.
Ventus lenis. Sunt etiam indicio lenis mollissima venti
Flabra; velut zephyri cum blandius axe sereni
Adspirant, agitantque leves per inania plumas.

Quid dicam, attrito cum flammae e corpore rumpunt,
Odor sulphureus. Quod gravis adstantum commixtus sulphure nares
Tentat odor? tenui quid murmura rauca susurro
Plagae. Edita? & inflictas inopino vulnere plagas
Persequar, atque leves, digitum si admoveris, ictus?
Tremor incussus nervis. Inde quoque ingenti jactantur brachia motu;
Inde tremor nervis; vis quippe innoxia semper

Non

Non prodit, ſubitaſque aſſurgere novit in iras.
Haec obſervantem te virtus abdita nunquam
Fallet, & his certo dabitur praediſcere ſignis.
Sed prodire ullo non plura e corpore cernes,
Nec manifeſta adeo virtutis ſigna latentis,
Quam pellucenti e vitro; ſi triveris ante *Vitrū maxime electricum.*
Affrictu domitans multo; namque ante domandum
Nulla dabit. crepitus fruſtra exſpectabis & ignes;
Dum validas adhibere manus artemque recuſas.
Haec porro arcanae cum ſint certiſſima ſigna *Indicia virtutis electricae non eodem modo habentur.*
Virtutis, ſemper non uno ut tempore; eodem
Sic non quaeque modò rumpunt in luminis auras.
Namque alia, haud ullis hominum cogentibus, ultro *Quaedam ſponte prodeunt.*
Proveniunt. toto ſic ignes aethere paſſim
Sponte accenduntur nocturni, & lumina fundunt;
Sic etiam interdum ſtellae (*a*) labuntur ab alto
Axe, atque ignitos claro dant limite ſulcos;
Nec non & crepitus, & murmura rauca cientur
Per caelum, aeſtivo praeſertim tempore, flagrans
Cum furit, & ſiccos incendit ſyrius agros.
Scilicet his natura ſubeſt, quae reſpuit artem,
Et per ſe, magnos, cum vult, ciet undique motus,
Sat ſibi ſufficiens, & opis nihil indiga noſtrae.
Multa aliis tibi cura, & plurimus impendendus *Quaedam artem requirunt.*

B Cor-

(*a*) Vapores intellige nocturno tempore accenſos, qui ſtellae ſpeciem quandam intuentibus exhibent, quoſque etiam Virgilius *ſtellas* appellat.

Corporibus contra labor eſt ; quaeſitaque ſigna
Sponte ſua prodire negant , artemque requirunt .
Virtus electrica diverſo modo excitatur.
Sed non occultam modus eſt extrudere ſimplex
Corporibus virtutem . Aliquot ſunt corpora , virtus
Queis non ante latens diſcluditur excita , quam ſint
Igne.
Suppoſito liquefacta igni . ſic ſulphura (*a*) diſcunt
Parere , ingenitas atque hoc tum denique pacto
Expromunt vires ; quin vitro excepta , quod alte
Surgentes referat tenuato vertice metas ,
Et ſepoſta diu , quam vim exprompſere trahentem ,
Non facile amittunt , & longo tempore ſervant .
Igne ſimul et fricatione.
Quid ? quae , ſubjectus niſi primum torreat ignis ,
Inſuper & multo niſi ſint exercita frictu ,
Edere ſigna negant ? ſunt talia marmora , tales
Sunt lapides , quibus artificum vis daedala ſuevit
Heroum minimas magnorum inſculpere formas .
Adde his avulſas volucrum de corpore plumas ,
Denteſque, ungueſque , atque animantum tergora denſis
Conveſtita pilis . Hoc experiere fricando
Felis terga manu ; ſcintillas protinus inde
Prodire aſpicies , ubi largum ſedit ad ignem ,
Cum Boreas gelido ſpirat perfrigidus axe .
Demum alia haud tanto reſpondent victa labore ,
Sola fricatione.
Affrictum exſpectant ſolum ; ut pix atra , nitentes

Gem-

(*a*) Recentioribus experimentis hibito ſubſidio ignis, electricum evadere docemur , ſulphur , etiam non. ad-

Gemmae, & pellucens ante omnia corpora vitrum.
Nunc quo, quodque teras, jubeasque ignescere corpus, *Quomodo sint terenda corpora.*
Disce modo: cui scabra cutis per se riget, usu
Edomita assiduo vel jam percalluit, isthaec
Non refugit proprias adhibere ad munia palmas; *Teruntur manibus.*
Ipse labore manum duro terit; ipse fricando
Instat; & explicitas cogit prodire favillas.
Qui teneram laesisse cutem formidat; id ante
Praecavet; & dextram inductis sibi pellibus armat. *Adhibentur chirothecae, et pulvilli.*
Quin etiam e corio insutis componere fetis
Pulvillos norunt, quo in subdita corpora totas,
Illaesis manibus, possint expromere vires.
Qua tu cumque via id peragas, ne parce terendo
Durum exercere imperium; sunt namque domanda *Vis adhibenda in fricatione.*
Attritu multo, & frictu cogenda potenti.
Praeterea variant inter se corpora multum, *Varietas corporum.*
Quod tu comperies tentando. Plurima solo
Affrictu vires produnt accensa trahentes.
At quaedam simili ratione incendere, easdem
Ut tibi depromant vires, conabere frustra.
Subsidio nequidquam aderit Vulcanus; & acrem
Vim nihil indomitis supponere proderit ignis.
Hoc ideo; quia non simplex, atque omnibus unum
Corporibus genus est. Sunt corpora nempe, quibus vim *Alia electrica ab origine.*
Indidit a primo natura benignior ortu.
Ipsa illis crepitus, plagasque, & fulgura, & ignes

 Mis-

Miscuit; ipsa dedit vires, queis tenvia multa
Obvia corripere, & secum conjungere possent,
Vim contra hanc aliis eadem natura negavit,
Haud tantum indulgens, & finxit inertia; verum
Alia participatione. Hac lege, ut, gravidis fierent si proxima, eodem
Protinus ipsa etiam gauderent munere, viresque
Exinde acciperent, exercerentque trahentes;
Inferrent plagas; crepitusque ignesque cierent.

Divisio omnium corporum in duas classes. Hinc est, quod causas qui vestigare repostas,
Et caeca instituunt virtutis semina mirae
Scrutari, in geminas primum omnia corpora classes
Describunt; statuuntque genus, quod cuique repertum est
Congruere, propriaque jubent consistere sede,
Rursus diducunt genera ipsa, & corpora primo
Plurima subjiciunt generi, numerumque recensent.

Enumerantur corpora primae classis. Ante alia electrum rutilo splendore coruscans
Ingreditur, primum nobis unde abdita virtus
Emersit, totique dedit sua nomina turbae.
Vitrum. Deinde subit, nitidumque tenet loca proxima vitrum,
Cui numero ex omni haud corpus certaverit ullum
Et tantum fluere, & tantis ardere favillis.
Aer. Consequitur late fusus spirabilis aër,
Cujus naturam jam nunc cognoscere praestat;
Quod liquidus, tenui insinuans se corpore, ubique
Miscet; & exceptus magnos ciet undique motus.
Gemmae. Post infert se se, gemmarumque emicat agmen,

Prae-

Praeſtinguitque (*a*) oculos, & fulgida ſpicula late
Evibrat, & claram jactat ſub nubila lucem,
Sardonyches, amethyſti, eoi adamantes, & aureo
Lumine chryſolithi, & viridi fulgore ſmaragdi,
Quique ſibi a flammis nomen fecere pyropi.
Nec vos tranſierim, Serum molliſſima texta; *Fila ſerica.*
Nec te, his in rebus quando eſt vel maximus uſus,
Illyriae e lucis, phrygiae aut de ſtirpibus Idae *Pix.*
Ubere diſtillans vena, pix lenta, ſilebo.
Haec alia atque alia excipiunt, atque ordine longo
Corpora ſuccedunt; quorum hic neque nomina noſſe
Singula; nec numero quidquam comprendere refert.
Omnibus his virtus latet imis abdita venis.
Poſt hinc digreſſi, ſimili ratione ſecundum *Enumerantur corpora ſecundae claſſis.*
Quae ſortita genus fuerunt, & origine ab ipſa
Virtutis prorſus ſtatuere exſortia mirae,
Corpora dinumerant. Textu condenſa metalla, *Metalla.*
Aurumque, argentumque, atque aera ſonantia longe,
Et rigidum chalybem, praeduraque robora ferri,
Prima locant. his ſubjiciunt animantia, prompta *Animantia.*
Numquam non vitreos fluctus exſugere, vimque
Illapſam totis nata exceptare medullis.
Exin arboreas nullo diſcrimine ſtirpes *Arbores.*
Huc referunt; & quae campos, & flumina late

 Quae

(*a*) Sic maluit poeta dicere, quam, ut ab aliis dici ſolet, *perſtringit*, Lambini opinionem ſequutus in Lucretii librum 3. verſ. 1056.

Quae procurva tenent; & quae nascuntur in altis
Montibus, aut sedem posuere in vallibus imis.
Liquores. Postremos memorant, numerumque liquoribus explent.
Vitrum omnibus corporibus anteponendum. At tu corporibus tibi vitrum ex omnibus unum
Eligito; hic studium omne, hic omnem impendito curam
Sedulus, atque viam jam nunc insiste domandi;
Attritu quando melius respondet, & ullum
Haud magis invenies quaesitis usibus aptum.
Nunc, o Pierides; neque enim sine numine divum,
Credibile est tantas res, & caligine tanta
Alte depressas, tandem emersisse sagaci
In lucem eductas cura; nunc dicite, qua vi,
Quave arte excitus gravido de corpore mirus
Exsiliat fluctus, superasque erumpat in auras.
Constructio machinae electricae. Principio inter se spatio distantia justo
Tigna duo statuunt solido de robore, quaeque
Partes machinae. Firma basis recto jubeat consistere trunco.
Globus sive cylindrus vitreus. Vitreus inde globus tignorum in parte suprema
Aptatur, tignum sic, ut citus inter utrumque
Circumagi queat; huic seta bene fartus equina
Pulvillus. Pulvillus duro e corio substernitur, ardens
Quem globus, in gyrum celeri dum turbine fertur,
Corradat. quamquam, pulvillo saepe remoto,
Dextra vices supplet volventi admota cylindro.
Namque vitri forma haec formae suffecta rotundae
Ipsa etiam nostris aeque venit usibus apta.

His

His ita perfectis, facili rota mobilis axe *Rota.*
Subditur, inſerto quae fune volubile vitrum
Abreptum rapidos ſecum ferat acta per orbes.
Jamque globus currente rota volat incitus, & jam
Scintillae toto vitri volventis ab orbe
Abſiliunt; patulas ſubeunt jam ſulphura nares,
Nidoremque accenſa ferunt; diſcluſaque virtus
Ubertim exundans plenis fluit undique rivis.
Verum ne ſubitae capiaris lumine flammae, *Effluxus virtutis electricae cohibendus.*
Praemoneo, crebras jaciat quamquam illa favillas,
Et loca ſulphureo late perfundat odore.
Quippe abeat vacuas labor irritus omnis in auras,
Ni fluctum vitreo de corpore proſilientem
Excipere, & certo noris deducere calle,
Quo tu cumque velis; facilis namque ille ſequetur.
Non ſecus ac cultor foecundi induſtrius horti,
Areolis non ille quidem ſimul omnibus undam
Largius inducit; ſed multa doctus ab arte,
Quo vires herbis & floribus irriget aequas,
Imponit rivis morem; indocileſque teneri,
Includitve tubis; exſtructo aut aggere fraenat;
Et juſſos adigit per humum deſcribere curſus.
Hoc tu diſce modo vitri compeſcere fluctum
Undantem, incertiſque vagum decurrere rivis
Ne ſine; ſed certa fugientem lege coërce.
Ergo lamellam bombycum e mollibus apte *Addenda lamella cum tubis.*

Innexam filis, tibi quae bipedalis hiantes
Sustineat subjecta tubos, suspendito juxta,
Quam minimo poteris, vitrum revolubile, tractu.
Sunt, qui lamellae subnectunt serica ducto
Fila inclusa auro, & salientia cernere gaudent;
Et qui demittunt Serum pendentia vinclis
Aera, sonos propriâ quae tinnula sponte canoros,
Attonitis monstri novitate adstantibus, edant.

Addenda in primis catena.

Cura sed illa prior tibi sit junxisse catenam;
Quam vel multiplices glomeratam flectere in orbes,
Vel recto extensam in longum producere tractu
Nil prohibet; tantum super omnia providus illud
Anteveni, gravis ingenito ne pondere lapsa,

Et filis sericis suspendenda.

Atque abjecta solo jaceat. retinacula tende
Serica; & in medio fac pendeat aëre, quales
Demissi pendent altis laquearibus ignes;
Regifica illustrat cum plurimus atria lychnus,
Et subnexa tholo noctem funalia vincunt,

Hoc omnino praecavendū est.

Hoc fit, ut in partem vis tota exuberet unam,
Nec diversa abeat. cur porro serica vincla
Nectere opus, modo causam a me ne quaere doceri,
Praeceptis pare; quae si neglexeris, omnis
Vitreus aethereas fluctus vanescet in auras;
Tu vero, admissis spectatum irrisus amicis,
Omnem operam perdes; flammasque ciebis inanes
Nequidquam exercens vitrum. proin parcere noli

Caeru-

Caeruleis Serum vinclis, & plurima necte.

Nunc locus eſt varios poſituſque habituſque notare, *Diverſi ſitus machinae expenduntur.*
Machina queis tales aptari ſuevit ad uſus.
Sublimem quandoque locant, atque altius ima
Attollunt terra; tum, quo conſiſtere poſſit
Alte elata pavimento, media, inter & illam,
Subjectumque ſolum, conſternunt corpora, lecta
Illorum e numero, quae primo *electrica* ab ortu
Dixere, illyricamve picem, vel ſerica texta.
Hoc ideo, ut monui, ne qua diverſa feratur,
Inſinuetque ſolo virtus, tacito pede ſueta,
Qua via dat ſe ſe, ſubrepere lubrica; quanquam
Iſta fere impendi ſolet uni cura catenae.
Hanc omni ſtudio ſuſpendunt aëre, Serum
Demiſſam nexis celſa ad laquearia vinclis.

Nunc age componens inter ſe confer utroſque; *Diverſos machinae poſitus diverſi effectus conſequuntur.*
Machina quos poſitus ſervat, quos nexa catena;
Diverſos etenim diverſa eventa ſequuntur.
Machina juncta ſolo ſi ſit, jaceatque catena,
Jam tibi nulla dabunt virtutis ſigna latentis;
Saltem praecipua, & quorum nunc diſcere cauſam
Magnopere interſit. ſin alte effulta, jacenti
Et disjuncta ſolo ſit machina, prompta requires
Tunc minime indicia; atque eadem tibi protinus imo *Effectus ipſi enumerantur.*
Offeret ipſa ſolo ſi ſit disjuncta catena,
Nexilibus nodis & Serum pendula vinclis.

Hos

Hos ubi diverſos poſitus haec ſervat ab illa,
Tam manifeſta diu dabit utraque ſigna; potenti
Quam diſcluſa diu coges erumpere frictu.

Alia machinae conſtitutio.

Machina nonnunquam, nec non innexa catena,
Utraque conjunctim elata in ſublime locantur,
Ne qua parte ſolum contingant, hoc ubi; ſueta
Non ſolum confeſtim edi mirabere ſigna;
Verum ita, ut, admoris digitum ſi forte catenae,
Haec perpauca edat, neget autem plura volenti.
Tum ſi, qua ſe ſe ſublimis machina tollit,
Accedens propius tuleris digitum; haec quoque reddet
Reſponſans totidem; frictuque inſtabis inani,
Quo plura elicias. ſic deinceps mutua pacta,

Effectuum conſtantia.

Alternaſque vices, tanta eſt concordia, ſervant.
Hos natura modos, legeſque & faedera certa
Impoſuit, cura quae tu multo ante ſagaci
Obſervans, animo memori proviſa repones.

Capiendum tempus idoneū experimentis.

Quod ſupereſt, moneo, luces optato ſerenas;
Nec quidquam aggredere imprudens, dum nubilus axe
Auſter agit pluvias, & iniquos aethere nimbos.
Exſpecta madidis donec procul avolet alis,
Et Boreas puro ſiccus dominetur olympo.
Officit ille, & particulis ſtipatus aquoſis,
Virtutem obtundens quaeſita ad munia ſegnem
Efficit. edoni Boreae vis arida contra
Algenti miras intendit flamine vires.

Sed

Sed jam praevalidis rapidos tibi versa lacertis
Det motus rota, & in gyrum versatile vitrum
Volvat agens. dextra superincumbente teratur
Vitreus interea globus; atque ignescere sensim,
Inclusamque arctis virtutem exsolvere vinclis
Incipiat. certa expressae dant signa favillae,
Et multa erumpens commixto sulphure flamma.
Nec longum in medio tempus. vis excita frictu,
Turbineoque rotae motu disclusa, penetrat
Lamellam, patulosque tubos, longamque catenam.
Nec mora, nec requies. sed pergit tendere, nexum
Illabens donec ferrum sic imbuat; hausta
Ut non rara magis turgescat spongia lympha.

Progressus ad experimenta describenda.

Nunc age, nunc animi vim totam intendito; nec non
Huc geminas, huc flecte acies. pulcherrima se se
Scena aperit, rerumque novus mihi nascitur ordo.
Admiranda tibi ante oculos spectacula pandam,
Et specie varia, & formis diversa; neque ante
Visa tot exactis ulli spectacula saeclis;
Primus inexpertas sacro de vertice Pindi
Ausus ad insuetum Musas deducere munus.
Et me, quae multos, non exsuperabilis intus
Vis agit, exstimulatque animum mihi quaerere famam
De segete intacta, integrosque accedere fontes.

Conciliatur attentio.

Omnia, quae docto tenuissent carmine mentes,

Omnia

Digressio de praecipuis naturae phaenomenis versu jam expositis.

Omnia jam (*a*) vulgata fere. Jam ſidera dicta,
Signorumque vices; certa qua lege ferantur
Per caelum, & curvos quae vis agat uſque per orbes.
Ac neque non dictum, tantus tremor unde repente
Concutiat terras; maria unde excita tumeſcant,
Atque eadem rurſum in ſemet depreſſa reſidant.
Illa quoque Aonidum multo condita lepore,
Firma ut librati conſiſtat machina mundi;
Mutuaque ut gravitas late diffuſa per omnem
Materiem, ſtabili disjunctas foedere partes
Alliget inter ſe, & compage revinciat arcta.
Quid varii varias leges, momentaque motus
Aoniis incluſa modis, lapſuſque, fugaſque,
Corporaque oppoſito ſecum certantia niſu
Commemorem? quid, quae longe ſecreta, magiſque
Abdita, inacceſſae & ſunt interiora Matheſis?
Haec etiam numeris comprenſa, exactaque certas
Ad Pindi leges, muſaeo & perlita melle.

Benedictus Stay.

Hic (*b*) magni ſervans veſtigia preſſa Lucreti,

Affe-

(*a*) Extant jam plura poemata de rebus phyſicis elegantiſſime conſcripta. Horum bene multa leguntur in collectione pariſina, in tres tomos diſtributa, & Pariſiis ipſis edita an. 1749.

(*b*) Benedictus Stay Raguſinus, Praeſul ampliſſimus & doctiſſimus. Philoſophiam Carteſianam ſtylo lucretiano verſibus traditam jam ab anno 1747. Romae typis vulgaverat; aggreſſus idem Nevvtonianam Philoſophiam verſibus, atque eodem ſtylo exponere, opus longe difficilimum feliciſſime abſolvit, ejuſque operis tomos duos Romae edidit annis 1755. & 1760. De tanto Poeta atque incomparabili viro quid ſentiat auctor ipſemet expreſſius declarabit lib. 4., ubi iterum de Stayo redibit mentio.

Affectatque viam caelo, & caput inserit astris;
Alter (a) divino relegens signata Marone,
Aeternam culto condit sibi carmine famam.
Summus uterque labor; summam sibi poscit uterque
Artem juxta, atque acre ingenium. properate Sorores
Debita Pieriae lauro e parnasside serta
Vatibus egregiis, meritosque innectite crines.
Nequaquam his gelida torpens formidine sanguis
Obstitit; ad tantas naturae accedere partes
Quominus auderent. vigor his, vigor actus ab alto,
Et subito insinuans praecordia in intima lapsu,
Subjecitque faces, magnosque incendit ad ausus.
Sed nos interea jam coepta exorsa sequamur,
Adspirans quando votis respondet Apollo,
Et non invitae peragunt data pensa Camoenae.
Ergo age sis, mecum, qua daedala machina surgit,
Accede; obtutuque intentius omnia crebro
Sedulus explora. viden ut plumaeque volantes,
Et folia argenti, nec non & ductilis auri;
Multaque praeterea delectu corpora certo,
Secta minutatim, tenui vel praedita mole,
Protinus ad nexam festinant rapta catenam?
Contemplator item, nuper quae rapta catenae

Gregorius Victorius Soc. Jesu.

Reditus ad propositū.

Omnia diligentius observanda. Indicia supra exposita recognoscuntur.

Attractiones.

Hae-

(a) Gregorius Victorius Soc. Jesu Institutiones philosophicas elegantissimis virgilianis versibus complexus est, & adnotationibus illustravit. Opus in duodecim libros distributum, & mira ingenii felicitate confectum quam primum, prodibit in lucem.

Et repulsiones.

Haeserunt, eadem ut, verso in contraria nisu,
Diffugiant; & sic reditusque abitusque frequentes
Alternent trepida, & vario exsultantia motu.
Quin age, & innexo propius succedere ferro

Plagae.

Ne dubita; aude etiam digitum intentare. minaces

Scintillae, et crepitus.

Cum plaga exsilient flammae, crepitusque sequetur,
Qualem imposta focis edit parnassia laurus;
Aut qualem audimus, flavae cum tempore messis
Exacto, stipulis ignem subjecit arator.

Plagae, et scintillae geminantur.

Nec semel erumpet crepitanti flamma sonore;
Sed strepitus toties, toties geminabitur ignis;
Admoris dextram quoties tu cumque catenae.
Omnia jamque licet, supera quae diximus ante,
Signa recognoscas virtutis certa latentis,
Plagasque crepitusque, & lenis flamina venti.

Attactus interdicitur.

Illud in his autem non te mirabile rebus
Praetereat; ferrum, quod non contingere dextra
Permissum; tantum sat erit si dextera, citra
Attactum, ferro accedat. ni caveris, usquam
Non rutilae apparent flammae; cita fulgura cessant;
Nec sonus auditur, flammis cessantibus, ullus.

Quomodo virtus corporibus ea destitutis communicetur.

Illud item cura est tibi non leviore notandum,
A vitro se se ut virtus foecunda propaget;
Corporibusque afflet vires, queis robur ab ortu
Arcanum primo natura negavit, easdem.
Aspicis, ut, totis vix miram hausere medullis

Vir-

Virtutem, ſubito ſibi res conjungere raptas
Ipſa etiam affectent, ſubitaſque excludere flammas,
Atque inferre ictus, crepituſque excire ſonantes
Condiſcant? hoc ſola facit vicinia; vires,
Qua fit, ut, arcanas ſibi vix ſenſere propinquas,
Extemplo rapiant ad ſe, interiuſque recondant.
His ſemel arreptis, eandem ſortita perinde
Ac ſi cum reliquis naturam, prorſus eodem,
Non ignara modi, funguntur munere. ferrum
Haud aliter quam ſi magneti admoveris; & jam
Novit hyperborei plauſtrum ſpectare Bootæ;
Et certum incertis monſtrare per aequora curſum
Nautis, cum nigro velamine plurima caelum
Contexit nubes, & nox premit horrida pontum.

Experimenta varia recenſentur.

His ita compertis, quibus obſervatio multa
Conciliare fidem potuit, non defuit inde,
Qui nova ſollerti ſpectacula quaereret arte.
Quin imo, ut facile inventis eſt addere, quiſque (a)
Certatim aggreſſus vitrum exercere, novoſque,
Multa movens, ſtuduit nobis oſtendere luſus.

Scintillae ex inaurata papyro prodeunt.

Hic primum auratis ſepſit conclavia chartis,
Parietibus ſuper inducens; circumtulit inde,
Attactum citra, ſpatiis propioribus, idem

In

(a) Pleraque experimenta, quae conſequentibus carminibus exponuntur ab auctore, deſumpta ſunt ex libro his de rebus a Jacobo Belgrado Soc. Jeſu conſcripto, & Philippo Borbonio Parmae ac Placentiae Duci inſcripto. Liber prodiit Parmae an. 1749.

In gyrum longam flexu ſinuante catenam.
Tum demum obſtructis, exacta luce, feneſtris;
Elicuit ſubitas nullo de ſemine flammas.
Continuo obſcuras caecum conclave per umbras
Totum collucere igni, rutiliſque favillis
Scintillare aurum; per opacam qualia noctem
Aſtra ſolent puro nictantia (a) fulgere caelo.
Ignis ex aqua elicitur. Vitro alter cyathum admovit, propiuſque locavit,
Quem prius algenti complerant Najades unda.
Extemplo viſae, dictu mirabile! flammae
Rumpere, & e mediis effervere Mulciber undis.
Flores olfacti nares fodicant. Ille apium, molleſque comas frondentis acanthi,
Purpureaſque roſas, incanaque lilia vitro
Volventi primum, tum naribus obtulit; idem
Olfactu abſtinuit ſubito, averſuſque removit;
Narium ubi teneras ſubiens vis ignea fibras
Perculit, & ſtimulis fodicans pervellit acutis.
Capilli surſum eriguntur. Jamque alius tenſo juſſit ſuccedere ferro
Adſtantum e turba florenti aetate puellam,
Neglecto effuſam cultu per colla capillos.
Nulla mora; arrecti ſteterunt in vertice crines,
Thyados in morem, nocturnis orgia ſacris
Cum ſtimulant, ſaevitque animis vis effera Bacchi.
Ventus cietur. Quid dicam, extrema pendentis parte catenae,

Qui

(a) Nictantia hoc eſt ſcintillantia; eſt Lucretius lib.6. v.181. *Nictantia* hac voce, & eadem ſignificatione uſus *fulgura flammae*.

Qui palmam objecit, confeſtim flamma reluxit,
Tenviaque arguto ſtrepuerunt ſibila vento?
Et qui (*a*) continuos ſecum prius ordine longo
Diſpoſuit globulos; tum flammam excivit, & ignem
A primo inſinuans ſollers traduxit ad imum?
Atque hic arte quidem multa, omnigenaeque Minervae
Inſtructus ſtudiis vitro impiger inſtat, & uſque
Extundit viſenda novis ſpectacula formis.
Quid? quod & elicitas vario diſcrimine flammas
Nunquam tentatos idem detorquet ad uſus;
Inſuetiſque notis abſentem (*b*) affatur amicum.

Ignis derivatur.

C Quip-

(*a*) Joſephus Bozolus Soc. Jeſu hic indicatur, qui machinam electricam, cum Philoſophiam in Collegio Romano publice traderet, diu multumque, frequenti nobilium ſpectatorum corona ſtipatus, exercuit; neque vero ea tantum experimenta capere, quae vulgo nota eſſent, ſed nova, quae ipſe excogitaſſet, tentare ſolitus fuit; quod quidem ei non raro e ſententia, ac plane feliciter evenit.

(*b*) Hoc loco deſcribitur, ſeu potius innuitur experimentum a Joſepho Bozolo nuper laudato in Seminario Romano captum, quod his ipſe verbis expoſuit. *Hoc experimento*, inquit, *falſum oſtenditur, quod antea ut certiſſimum habebatur, in exoneratione videlicet tabulae Franklinianae, aut phyalae Batavicae fluidum electricum ſemper per breviſſimam viam tendere. Oſtenditur enim, ſi duae pateant viae, altera per filum metallicum, altera vel per aquam, vel per terram, vel per alia quaecumque corpora, vaporem per priorem abire ut ut longiſſimam, altera relicta, ut ut breviſſima; immo vero, etiamſi filum metallicum interciſum fuerit, exiguo tamen paucarum linearum intervallo, deprehenſum eſt, per filum metallicum pergere, atque intervallum illud ſuperare; quod patuit ex ſcintilla vividiſſima inter duo capita, quod diximus, intervallo disjuncta, emicante. Si longius ſit intervallum per aquam, aut terram &c. phyalam aut tabulam exonerari, plura docuerunt experimenta. Hoc autem conſtituto poteſt arcus ductorius adhiberi* [*arcus ductorii nomine*

Novum experimentum refertur.

Quippe duo a nexa in longum deducta catena
Aenea fila trahit ; spatium distantia amici
Definit certum , verum , quo lumina fallat
Spectantum , & miram quo callidus occulat artem ,
Fila solo condit penitus defossa sub imo ,
Sic tamen ; ut capita emergant tum denique ; signa
Conscius opperiens condicta ubi servat (*a*) amicus.
Ipse autem interea vitri revolubilis orbem
De more exagitans fluctum derivat ; & inde ,
Qua duo se extrema respectant aenea parte ,
Attactum citra & praescripto limite , fila ;
Composito tot scintillas educit , ad usum
Quot talem elicitis opus est ; quae singula nempe
Designent elementa (*b*) ; quibus (*c*) in verba coactis
Sen-

ne intelligitur quodcumque corpus communicatione electricum , quo inducitur communicatio inter superiorem , & inferiorem tabulae , vel inter interiorem , & exteriorem phyalae superficiem] ex filo metallico cujuslibet longitudinis , cujus quidem unum caput , ut fieri solet , inferiorem tabulae superficiem contingat , alterum ad superiorem , cum opus est , admoveatur . Filum autem ita sub terram demergatur , ut aliqua sui parte , in qua sit modica interruptio , emergat in domo amici . Hoc peracto , si exorneretur tabula , vapor , non via breviore per pavimentum , in quo est machina , sed per longiorem fili feretur , & apparebit scintilla in domo amici inter duas partes fili metallici eo usque pertingentis . Jam nullo negotio poterit quoddam veluti alphabetum cum amico ex scintillis componi , & aliqua loquendi ratio condici ; quam , ut satis facilem , cujuslibet arbitrio excogitandam eligendamque relinquimus . Huc usque Bozolus .

(*a*) Servat , hoc est observat ; ita Virgilius Aeneid. lib. 5. v. 25. *Si modo rite memor servata remetior astra ;* id est observata .

(*b*) Alphabeti litteras intellige .

(*c*) Poetam beneficio caesurae , etiam

Sensa animi pateant, certa & sententia constet,
Atque his indiciis, fidaque interprete flamma
Absens absentem dictis compellat amicum.
Hinc harum sensim rerum experientia crevit;
Inde alia atque alia explorando repperit usus;
Multa etiam tentanti aliud fors obtulit ultro.
Sed magis ad varios res nulla accommoda lusus
Inventa est, quam ferrea virga. fac imbuat illam
Plurimus a vitreo diffusus corpore fluctus;
Quo bibat occultas quaesita ad munia vires.
Nec plura; in medium de spectatoribus unus
Prodeat, insignis facie & vernante juventa;
Pictus acu chlamydem, quam daedala dextera multo
Argento circum, multo & discreverit auro.
Qualis sidonio quondam conspectus in ostro,
Illusisque auro tunicasque, sinusque crepantes
Cultor frondosae puer ibat regius Idae,
Quem superum Rex ipse polo miratus ab alto est.
Hic autem, si forte velis risumque ciere,
Et circumstantis plausum captare coronae;
Ostrum ostentantem, phrygiaque in veste superbum
Aggredere; & chlamydis summas qua circuit oras
Argentum, intextumque argento fulgurat aurum,

Virga electrica flammas elicit.

Festivissimus jocus describitur

C 2 Vis

etiam sequenti voce monosyllaba, uti posse confirmat exemplo suo Virgilius Ecloga 10. v. 69. *Omnia vincit amor; & nos cedamus amori*. Plura hujusmodi exempla peti ex eodem Virgilio citarique hoc loco possent, nisi supervacaneum videretur.

Vis mira accedat virgae ; cita flamma repente
Rauco cum sonitu disclusa erumpet. At ille,
Attonitus monstro, subitos mirabitur ignes;
His se se obsessum miser, & candente favilla
Clamabit. tum multa movens, vestemque flagrantem
Diducens, partes se se versabit in omnes.
Sed, quanto ille magis manibus restinguere flammas,
Excutiens laxansque sinus, contendere perget;
Tanto tute magis trepidanti excire favillas
Ne cessa, atque instans non segnius utere virga.

Sic olim vestis, si dignum est credere, inarsit
Alcidae scapulis, magno pro munere habendam
Herculis conflagratio. Nescia dilecto quam Deianira (*a*) marito
Tabifici misit suffectam sanguine Nessi.
Nec mora; lethifero vix est sublapsa veneno
Dira lues, penitusque imis suscepta medullis,
Funduntur totis exorta incendia membris.
Uritur infelix rapido correptus ab igni;
Luxuriansque toris pectus, magna ossa, lacertosque
Indomitae absumunt flammae, & praecordia torrent.
At miser in rabiemque actus, praecepsque furore
Bacchatur; tenditque simul depellere pestem
Nequidquam; simul horrendas ad sidera voces
Attollens, implet magnis ululatibus auras.

Re-

(*a*) De Nesso, de Deianira, deque Herculis conflagratione vide Ovidium Metamorph. lib. 9. a ver. 141. ad ver. 241.

Reſponſant fremitu ſylvae, ſonat arduus aether.
Sed noſtrae non tanta ferunt incendia flammae.
Nec vanos tibi finge metus; innoxius ignis
Errat, & intacto gaudet colludere limbo,
Et circum innocuis aurum luſtrare favillis.

Nihil hujuſmodi hic pertimeſcendū.

Nec minus ille jocus (*a*) riſum, plauſumqua coronae
Jucundum eliciet, quo neſcio an accidat ullus
Gratior e multis, ſpectatoreſque moretur.
Auctor quippe joci Bacchus fuit, ipſe ciendo
Materiem riſu ſuffecit; & evia nobis
Nil fortaſſe aeque memorandum dona tulerunt.
Quanquam victrices Niſae de culmine tygres
Liber agat; meritoque domet Rhoëtumque, Pholumque
Nubigenas letho, contemptoremque Lycurgum.

Jocus alter non minus feſtivus deſcribitur.

Lenaeos igitur latices cape, ſive falerna
Quos tibi ſufficient, ſeu chia e vite racemi.
Non tamen ante datum miros traducere ad uſos,
Quam faecem exſuerint, labeſque exceſſerit omnis.
Decoquit hanc penitus ſubjecto Mulciber igni.
Eſt vas, quod latum in ventrem turgeſcit, idemque
Senſim digrediens camerato a vertice, longum
Deſinit in roſtrum; peregrina ciconia quale

Deſcriptio vaſis diſtillarii.

 Ore

(*a*) In hoc experimento exponendo plus deſcriptioni poeticae indulget auctor, quam rei ipſius veritas fortaſſe patiatur. Sed aliquid opinor auctori concedendum, qui jam ſe non Philoſophi, ſed Poetae perſonam ſuſtinere; & voluptati legentium malle, quam eruditioni ſervire profeſſus ſit.

Ore gerit, tortis avis exſecrata colubris.
Illi vas aliud ſupponitur, haud minus amplo
Turgeſcit quod ventre capax, Bacchumque receptat
Infuſum. Bacchi liquor, attenuante calore,
Submittit lento quem carbo plurimus igni,
Rareſcit, leviorque petit ſublimia vaſis;
Mox ubi ſtipantis ſenſit vim frigoris, udum
Cogitur in rorem; & roſtri per devia pronis
Decurrit large rivis. hac arte liquato
Addunt coriandri, aut beneolentis ſemina aniſi,
Aut veſca adjiciunt fragrantia cinnama canna;
Saccharaque auſterum domitant jucunda ſaporem.
His demum exactis, rorantibus atque minutis
Exceptum cyathis, lautae poſt fercula menſae,
Cruſta inter mellita, interque cupedia potant.

Confectio liquoris, quē appellant Rosoli.

Ergo age ſume manu medicata cuſpide virgam,
Atque oculis veſtiga; & quem obſervaveris unum
Largius epoto nimis indulgere liquori,
Huic tende inſidias; huic improviſus adeſto,
Vix leviter preſſa firmans veſtigia planta,
A tergo; fraudique accommoda tempora capta;
Dumque labris cyathum ſitientibus admovet, atque huic
Ore inhians, oculiſque bibacibus imminet, omnes
Tolle moras, virgamque intenta. flamma ſequetur
Extemplo, pateramque vorax amplexa, liquorem
Ebibet. ille volans tenues vaneſcet in auras;

Obtentu virgae liquor ignē concipit, & evaneſcit.

Et

Et miserum ambiguumque animi, attonitumque relinquet.
Consurgent studia adstantum, risuque soluto,
Atriaque effusis resonabunt alta cachinnis.

Specimen quoddā navalis pugnae exhibetur. Constructio naviculae papyraceae.

Nec vero, si tanta animum, si forte cupido
Incessat, prope navalis spectacula pugnae
Edere non poteris; facilis modus. accipe chartam,
Quam prius inducto tenuis convestiit auro
Lamina, & in parvae formam componito cymbae;
Quales aedificant pueri, riguisque vehendas
Imponunt (a) aquulis; prono per gramina lapsu
Sicubi decurrunt. circum stupet inscia pubes
Exilem mirata, ullo sine remige, puppim
Accelerare viam. cursum tenet illa secundum;
Donec vel ripae, vel saxo allisa, repente
Mergitur, & fundo demersa residit in imo.

Virga naviculā ad se trahit.

Hoc exstructa modo, & facili properata labore
Innatet undanti vaga cymba excepta catino.
Dumque anceps haeret, fluitatque incerta, potentem
Virgam adhibe. virgam vix sentiet illa propinquam,
Protinus, impellant veluti si carbasa venti,
Angusto varios describet in aequore gyros;
Et quamcumque velis in partem haud segnis agetur.

Flammas & crepitus ciet.

Interea jaciet flammas & fulgura crebra,
Non sine raucisonis crepitantia fulgura bombis.

(a) Vox est ciceroniana; occurrit in lib. I. de Orat. c.7. ubi sic; *Cujus* [platani] *umbram sequutus est Socrates, quae mihi videtur, non tam ipsa aquula, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse.*

Haud ſecus ac, ſi parva licet componere magnis;
Foeta armis medio pinus cum martia ponto
Vela facit; curſuque ſecat vada ſalſa ſecundo;
Vix in conſpectum ſe ſe dedit aemula claſſis,
Nulla mora; obvertit latus, ingentique fragore
Intonat horrendum; tonitru quo maximus aether,
Et concuſſa fremunt late aequora. ſquamea tum gens,
Et turpes ſummo nantes in gurgite phocae
Attonitae fugere metu; conterritus omnis
Nereidum, Phorcique chorus petit alta profundi
Stagna maris, penituſque imis ſe fluctibus abdit.

Alia experimenta referuntur.

Quid referam, exſtincti viſi ut ſplendeſcere lychni
Unius obtentu virgae, noctiſque per umbram
Late improviſam funalia mittere lucem?
Quid? ſiquis ſtricto invadat te cominus enſe;
Ne trepida; virgam dextra praetende; minaces
Ilicet erumpent adverſo ex enſe favillae.
Portenti genus! ille novo ſtupefactus, & haerens
Prodigio, poſuitque minas, longeque refugit.

Experimentorum numerus prope infinitus.

Quid pergam ulterius? non hic ego verſibus opto;
Nec vero, ſi vox mihi ferrea; ſi mihi centum
Sint linguae; centum ora ſonent; quam multa reperta,
Quam nova, quam variis ſpectanda eventibus, & quam
Felici fuerint ſucceſſu educta ſub auras,
Percenſere queam numero; quem noſcere ſiquis
Forte velit, pluvii guttas velit aëris idem

Diſce-

Difcere ; cum ruptis tempeftas nubibus atra
Praecipitat caelo , denfofque exaggerat imbres ;
Aut quot deciduis autumni tempore fylvae
Sternantur foliis , plantis cum frigora prima
Decuffere comas , & laetae frondis honorem.

Digreffio de laudibus noftrae aetatis.

Haec adeo , e mediis hac tempeftate tenebris ,
Erexere caput , feque afpectanda dedere ,
Sollerti cura ftudioque excita recenti .
Nam quid (*a*) inexpertum ? quid noftra reliquit inaufum
Aetas ? haec fuperas caeli confcendit ad arces ;
Non ut bella Jovi , fuperifque infefta quietis ,
Grande nefas aggreffa , inferret more Gigantum .
Hos una exftructis cum montibus aethere ab alto
Praecipites dedit , & molitus fulmina dextra
Altitonans genitor ftygias detrufit ad undas .

Aftronomia feliciter exculta.

Verum , ut noctivagos ignes , titaniaque aftra ;
Et nitidam lunae , atque ardentem lampada folis
Infpiceret propius ; rapidique intenta citatos
Volventis motus contemplaretur olympi .

Telluris forma definita.

Haec (*b*) fummo digreffa polo , dimenfaque terram ,
Rep-

(*a*) Multa hic ab auctore de laudibus noftrae aetatis praedicantur ; & merito quidem , quod ad artes ac facultates liberales pertinent . Facultates enim , & in primis mathematicae proximis hifce annis vehementer excultae funt , & miri in iis progreffus facti . Humanioribus litteris non minori contentione opera impenfa eft; & ipfae quoque ad fummum decus fplendoremque provectae . Studium vero Antiquitatis nunquam profecto aeque, atque aetate hac noftra viguit .

(*b*) Celeberrima indicatur expeditio

Repperit (*a*), ut tumido se se efferat edita dorso,
Aequans qua medium diffindit circulus orbem;
At contra geminos depressa resideat ad axes.
Expeditiones in longinquas terras susceptae. Haec prope inaccessas tot per vada caerula terras,
Terrasque tractusque maris, semotaque longe
Littora, barbaricis quanvis infesta rapinis,
Visendi studio, pulcraque cupidine capta,
Remigio audaci pervasit; & aequore toto
Immensum per iter velis delata secundis
Ditavit nostrum inventis felicibus orbem.
Extulit haec genus acre Virum, genus acre Sophorum
Summa Mathematicorũ insigniũ multitudo. *Cassinos* (*b*), & *Manfredos* (*c*) celebrataque fama
Nomina *Zanottos* (*d*), quos docta Bononia partu
Lae-

tio ad definiendam telluris formam a Ludovico XIV. Galliarum rege magnificentissime adornata, & a Gallis alacriter suscepta an. 1735.

(*a*) Unde multo certius, quam ex captis in Gallicana expeditione mensuris, telluris forma definiri possit, docet Rogerius Boscovichius in adnotationibus suis ad poema Caroli Noceti de Aurora boreali. adnot. 54.

(*b*) Cassini duo extiterunt celeberrimi tota Europa Mathematici, pater & filius. Cassinus pater magnis praemiis ac pollicitationibus a Ludovico XIV. Galliarum Rege expetitus, relicta Bononia, Parisios concessit, ibique consedit.

(*c*) Ex Manfredia familia quatuor prodierunt Viri omni laude cumulatissimi. Eustachius Mathematicus clarissimus, & editis operibus celeberrimus. Gabriel insignis item Mathematicus. Heraclius Mathematicus simul & Medicus excellens. Nec a trium fratrum laude abhorruit Aemilius e Soc. Jesu, Mathematicus, Astronomus, & Concionator egregius.

(*d*) Franciscus Zanottus insignis Mathematicus, & scientiarum Bononiensis Academiae Praeses, Academiae ipsius historiam, seu potius acta edidit Bononiae anno 1731. idem latina & etrusca carmina ad antiquum nitorem elegantiamque expressa eadem

Laeta suo superas in luminis edidit oras
Ausonium ad Rhenum . haec geminos , devota Mathesi
Pectora *Riccatos* (*a*) ; Phoebeisque artibus omni
Morgagnum(*b*)Europae notũ; haec & te inclyte *Nevvton*,
Anglia quo tantum generosa superbit ; & unum
Opponit cunctis , fatis hoc illustris alumno .
Nec vero te cum sociis *Rogere* (*d*) , silebo
Xime-

Rogerus Boscovi— chius Mathematicus celeberri — mus.

dem in urbe vulgavit an. 1751. Ex hac eadem florentissima doctorum hominum familia plures numerantur clarissimi viri , quorum fama cum satis pervagata sit , idcirco ab iis commemorandis supersedemus.

(*a*) Comes Jacobus Riccatus , & Vincentius Riccatus Jacobi filius e Soc. Jesu , duo insignes & praecellentissimi Mathematici , pluribus editis ingenii monumentis notissimi . Vincentius Bononiae egregium opus edidit an. 1749. quod inscripsit *Dialógo delle forze vive , e delle azioni delle forze morte*. Item aliud eadem in urbe an. 1752. *De usu motus tractorii in constructione aequationum differentialium* . Tertium item de Algebra an. 1765. ibidem .

(*b*) Joannes Baptista Morgagnius in Gymnasio Patavino Anatomes Professor, Anatomicorum nostrae aetatis facile princeps, & *saeculi ornamentum*, ut eum Jacobus Bassanus appellat in elegia quadam ad ipsum perscripta , qui se non invenuste *saeculi incommodum* dicit.

(*c*) De Nevvtono Anglo praestat tacere , quam pauca dicere .

(*d*) Multa hic de tanto Viro commemorantur ab auctore , quae illustratione aliqua indigent , & a nobis una adnotatione expedientur . Boscovichius Romae in Gregoriana Universitate multos annos Mathematicam docuit , & multa edidit , quae summo plausu a Mathematicis excepta sunt. Lucensis Reip. rogatu Viennam Austriae adiit , ibique annum commoratus remigravit in Italiam , & Romam rediit . Rursus novum iter suscepit , & fere totam Europam peragravit , nobilioresque Academias praesens invisit . Mox Constantinopolim contendit , Constantinopoli iterum in Italiam , ac Romam venit . Relicta jam tertium Roma a celeberrima Ticinensi Universitate evocatus Papiae nunc Mathematicas disciplinas , non sine summa praestantissimi ingenii laude, publice profitetur. Nunc audio eundem ab Academia Londinensi expetitum anno sequenti in Ame-

Ximenio (*a*), & *Lechio* (*b*), Uranie quos educat ipsa,
Et gremio fotos primis Dea sistit ab annis
Siderei super arce poli; *Rogere*, Mathesi
Dilectum ante alios; sed eundem non minus almis
Dilectum Musis, & Apolline digna canentem.
Quam timui, magnis de rebus ad alta Viennae
Moenia ne missum te regia Caesaris Urbi,
Ac pulcro eriperet Latio, reditumque negaret.
At secus evenit. longo post tempore demum
Vindelicas linquis superatis alpibus oras.
Jamque redis. reducem gratatur maxima Roma;
Sal-

Americam navigaturum, observandi caussa transitum Veneris sub Sole, qui quidem transitus totam Mathematicorum nationem mirum in modum anxiam nunc habet atque sollicitam.

(*a*) Leonardus Ximenius e Societate Jesu Mathematicus Caesareus. Mathematicas disciplinas Florentiae professus est. Vulgavit Venetiis an. 1751. prima sex Geometriae planae elementa; Florentiae vero, anno proxime sequenti, aliud egregium volumen edidit, quod inscripsit; *Notizia de' tempi de' principali fenomeni del cielo novamente calcolati secondo le ultime tavole Cassiniane*. Quod vero plurimum ad Mathematicarum disciplinarum incrementum valet, & valebit in posterum, nobilem in Collegio Florentino in usum Astronomicarum observationum speculam construxit; & lineam meridianam in aede urbis principe duxit ad illarum similitudinem, quae jam pridem Bononiae in templo S. Petronii, & Romae in templo S. Mariae Angelorum a peritissimis, & celeberrimis Mathematicis ductae fuerant.

(*b*) Antonius Lechius e S.J. Mathematicus & ipse Caesareus. Quas disciplinas publice in Braydensi Soc. Jesu Universitate professus est, easdem doctissimis scriptis, & editis libris illustravit. Edidit Mediolani an. 1752. *Arithmeticam universalem* Isaaci Newtoni. Mediolani item *elementa Geometriae theoricae & practicae* an. 1752. Rursus Mediolani *Hydrostaticam* vulgavit an. 1766. Alia edidit, quae longum esset enumerare.

Testificatio auctoris grati erga Boscovichium animi.

Salvum atque incolumem focii amplectuntur ovantes.
In primis ego te amplector ; te pectore toto
Excipio . tu caeca regis vestigia ; certum
Tendenti incerto pede per loca devia vati
Tu monstras callem . fine te nihil ipse nec ausus ,
Nec possem . acceptum nequeo non proinde referre ,
Quale est cumque tibi , quod carmine molior , uni .

Boscovichii peregrinationes.

Verum ah ! vix laeti reducem excepere sodales ,
Te novus ardor agit longinquas visere terras ;
Nobilis ille quidem , at caris deflendus amicis .
Quid faciam ? num te morer importunus aventem
Doctrinae varias peragrando quaerere merces ;
Claraque priscorum renovare exempla Sophorum ?
Non ita ; quin potius , quando felicia spondent
Cuncta Dii ; & magnis animus non deficit ausis ;
Vade age , rumpe moras , quo te tuus incitat ardor ;
Vade , & communem tecum fer ad aethera famam .

Reliqui celebriores Viri indicantur.

Quid memorem reliquos , eadem quos extulit aetas
Alma viros , omnes scriptis insignibus , omnes
Ingenio claros ; quorum immortale vigebit
Nomen , & aeternis florescet gloria saeclis .
At vos indictos *Oliveri* (*a*) , & *Passere* , non hic

Non

(*a*) Annibal ex Abbatibus Oliveriis , Patritius Pisaurensis , & Joannes Baptista Passerus J. C. & Vicarius Pisaurensis , duo clarissimi & eruditissimi Viri merito hic ab auctore ob excellentem doctrinam atque eruditionem inter prima Italiae lumina recensentur . Plura ambo ediderunt ope,

Non ego tranfierim antiqui duo clara Pifauri,
Quin adeo Italiae clariffima lumina; nullum
Non vos commendat ftudii genus; edita porro
Prifca tot in lucem monumenta, & Marmora fculptis
Infignita notis; Gemmae, veterefque Lucernae
Extendent veftram ventura in faecula famam.

Nam quid praeterea referam (*a*), quos inclyta Roma
Sufpicit in praefens tales; felicia quondam
Quales extulerunt Augufti tempora, graja
Et latia doctos lingua. quid? carmine Vates
Etrufco egregios pariter, pariterque latino,
Fertilis Arcadiae quos effert coetus, alitque
Laurigeras inter fylvas; quofque aemula, jugi
Submittit foecunda cohors laetiffima partu
A magno clarum nomen fortita Quirino.

Coetus Arcadicus, & Academia Quirinorũ laudantur.

Quam

opera, quae fummam auctoribus laudem atque exiftimationem conciliarunt, & quorum aliqua hic fubjicio. Oliverius *Marmora Pifaurenfia notis illuftrata* Pifauri edidit an. 1738. ejufdem aliquot *Differtationes*, quas vocant, leguntur in collectione Calogeriana. Pafferus vero *Lucernas fictiles Mufei Pafferii* Pifauri edidit an. 1738. Item *Thefaurum gemmarum antiquarum aftriferarum*. Florentiae an. 1750.

(*a*) Duo infignes doctorum hominum coetus hoc loco indicantur, qui Romae florent fapientiffimis, ac poetica praefertim laude praeftantiffimis viris. Alter ab *Arcadia* nomen habet, cui diu praefuit Michael Jofephus Morejus Poeta nobilis, & laude dignus; huic vero non ita pridem vita functo fucceffor datus eft Jofephus Brogius non minori laude cenfendus. Alter coetus Academia *Quirinorum* appellatur; atque hic etiam clariffimis ac praeftantiffimis viris abundat. Cui quidem tertius addi potuit, immo vero debuit, qui fibi *Infoecundorum* nomen adoptavit; & nihil duobus fuperioribus de ingenii laude praeftantiaque concedit.

Quam vellem hic longam seriem enumerare virorum
Tantorum? te, culte *Fabi*; (a) te, docte *Serassi* (b)
Cum docto, quem par ornat sapientia, *Preto*; (c)
Et te Pieridum (d) judex, censorque mearum;
Et te, (e) quo fido ante alios interprete Princeps
Usus

Alii docti Viri recensentur.

(a) Fabius *Devotus* Scriptor egregius & Poeta excellens, atque in scribendis latinis satyris ac sermonibus Horatium sequutus; hoc vero ab Horatio distat, quod vitia carpit, sed famae parcit, mores corrigit, sed pudori consulit; vir christiana plane temperantia & verecundia maxime spectandus; quae laus raro admodum in hujusmodi scriptoribus invenitur, qui plerumque fervido, quo calent, ingenio abutentes, modum tenere nesciunt, in eo ipso animadversione digni, in quo alios corrigere volunt ac reprehendere.

(b) Petrus Angelus Serassius Bergomas, Vir eruditissimus, & Philologus insignis, emendatissimas editiones celebriorum Italorum Poetarum conficiendas curavit. Petri Joannis Maffeji civis sui celeberrimi Scriptoris opera latina omnia cum italica Historiae de rebus indicis versione 4. volum. comprehensa publici juris fecit.

(c) Ludovicus Pretus Vir doctissimus, & Rhetoricae & Poeticae artis scientissimus. ea, quae edidit, ejus in utraque facultate praestantiam satis declarant.

(d) Joannem Pompejum Manzochium auctor indicat, Virum doctissimum, & sui amicissimum, cui etiam opus hoc ipsum cognoscendum dedit. Multa Vir hic summus scripsit italice & latine, prosa & versu; singulari in utraque lingua & nitore & elegantia; sed modestissimus homo scripta sua apud se suppressa tenet, & vix cum amicis communicat. Optandum esset, ut aliquid de tanta modestia remitteret, & amicis ad ea, quae scripsit, edenda hortantibus morem gereret.

(e) Michael Angelus Jacomellius Clementi XIII. P. M. ab epistolis latinis ad Principes, indicatur, qui quidem nuper in collegium Canonicorum Basilicae Vaticanae ab ipso Clemente cooptatus, & Chalcedonensis Archiepiscopus creatus est. Haec praemia homini meritissimo Pontifex munificentissimus jure contulit; est enim Vir singulari doctrina atque eruditione praecellens, graece & latine apprime sciens, cujus utriusque linguae ab eo edita non pauca exsistunt monumenta.

Usus sensa animi expromit sua ; teque (*a*) ab *amico*
Optimus ipse *bono* tibi qui cognomen adoptas ;
Et tot praeterea non uno nomine dignos
His adcenseri , sileo quos hic minus aegre ,
Angelus Fabronius. Promeritos justo quod non patietur honore
Fraudari , eloquio nuper qui (*b*) nobilis aureo
Magnorum instituit vitas describere Vatum ,
Et clara aeternae committere nomina famae .

Artefacta varia in usum Physicae , & Astronomiae. Adde his (*c*) artificumque manus,operumque laborem ;
Prismata (*d*) in adverso pingentia pariete fila ,
Fila coloratae vario subtemine lucis ,
Et diducta suum reddentia quaeque colorem ,

An

(*a*) Intelligi vult auctor Philippum Bonamicum , Castruccii illius fratrem qui libros *De bello ad Velitras* gesto summo doctorum hominum plausu exceptos Caesariano stylo conscripsit . Singulari aureae latinitatis laude fratri non inferior est Bonamicus hic noster. Edidit Romae an. 1753. *De claris pontificiarum epistolarum Scriptoribus* opus egregium , quod qui legat , & nitorem linguae aureo saeculo dignum , & summi Viri de summis item Viris acre judicium admirabitur .

(*b*) Angelus Fabronius Patricius Pistoriensis indicatur , Basilicae S. Mariae tans-Tiberim Canonicus, qui non Vatum tantum , ut inquit auctor , sed clarorum in omni doctrinae genere sui temporis Virorum vitas latina lingua scribere instituit . Primum volumen jam prodiit Romae an. 1766. in Scriptore , qui tantum opus suscepit , nihil ad veritatis historicae fidem requiras , nihil ad mundissimi sermonis elegantiam desideres .

(*c*) Delabitur auctor ad artefacta in usum praesertim Astronomiae singulari operae atque artificio confecta .

(*d*) Prisma instrumentum aetate hac nostra notissimum . Multa de prismate , & de Nevvtoni radiis ac filis coloratis disputat Boschovichius in suis ad Iridem Noceti adnotationibus 10. 11. 12.

An cryſtalla tubis incluſa? an levia (*a*) in horum
Perſequar hic ſuffecta locum mira arte metalla;
Aſtraque juſſa oculis propius ſuccedere noſtris?
An ſuper haec addam refractae lucis in uſum
Vitra (*b*) novo conflata opere, & metantia certos
Inter ſe abſceſſus radiorum? an denique centum
Adjiciam egregias exculta inventa per artes?
Salve aetas; ſalve magnis praeclara repertis;
Aurea (*c*) non tecum contendant ſaecula; quondam
Cum fera barbaries exacta, Scythaeque, Gotique
Ceſſere Oenotria pulſi; & reparata vetuſtam
Induerunt rurſus ſpeciem, quae plurima peſſum
Gens dederat gelidis effuſa trionibus, almae
Excido Italiae nata, Auſonidumque ruinae.
Tunc longum extorres diae rediere Camoenae,
Deſertaſque plagas coepere inviſere rurſus;
Fluminaque eloquii fluxerunt aurea; verbis
Gratior etruſcis tunc & venus addita; nec non
Argivae vulgo culta eſt facundia linguae.

Comparatio noſtrae aetatis cũ ſaec. XVI. Barbarorũ irruptiones in Italiam.

D Tum

(*a*) Teleſcopium Nevvtonianum intellige.

(*b*) Inſtrumentum recentiſſime excogitatum; *Vitrometrum* appellant. Opuſculum de vitrometro ab Boſcovichio concinnatum non ita pridem editum eſt. Inſcribitur autem; *De recentibus compertis pertinentibus ad perficiendam Dioptricam*.

(*c*) Barbarorum in Italiam irruptione quantum detrimenti bonae artes coeperint, omnibus notum eſt; quantum vero eaedem, exactis barbaris, provectae fuerint; tum ſenſim conciderint, aeque compertum eſt omnibus. Nunc vero, in Italia praeſertim, rectum de bonis artibus judicium ita viget, ut merito aureo illi ſaeculo, quod a poeta commemoratur, aetas haec noſtra comparetur.

Tum reliquae, docta Pindi praeeunte caterva,
Successere artes; discendi immensa cupido
Corripuitque animos; laudisque incendit amore.
Dein, quae conditio est atque inconstantia sortis
Humanae, tanto paulatim e culmine rerum
Omnia concidere, & retro sublapsa referri
In pejus; donec, divorum munere, rursus
Altius ex ipsis nunc emersere ruinis;
Salve iterum, salve, tot laudum insignibus aucta,
Clara tot inventis, tot nobilis artibus, aetas.
Tempus erit, veri siquid mens praecipit, olim
Cum te posteritas mirabitur; atque laborum
Felicem ante alias fortunatamque vocabit,
Hinc exempla petet; subdi hinc sibi sentiet acres
Ad decus ac famam stimulos; hinc aemula virtus,
Aemula magnorum laudi consurget avorum (a).

ELE-

(a) Non continuo hic versus reprehendendus est quod secundae vocis ultimae syllabae, ultimis postremae vocis syllabis assonent: Horum versuum exempla occurrunt in ipso Virgilio; cujus teretes aures hujusmodi consonantia minime offendit, Aen. lib. 4. v. 260. *Aeneam fundantem arces, ac tecta novantem*. lib. 9. v. 634. *Trajicit; I verbis virtutem illude superbis*. lib. 10. v. 554. *Dum caput orantis nequidquam, ac multa parantis*: Et illa duo Aen. lib. 3. v. 549. *Cornua velatarum obvertimus antennarum*; & lib. 12. v. 373. *Ora citatorum destra detorsit equorum*. Atque hi quidem versus *leonini* vulgo appellantur, quibus qui modice utatur, reprehendi, Virgilii ipsius exemplo proposito, certe non debet, varietas enim haec numerorum carminibus gratiam & venustatatem conciliat. In poeta autem nostro duos tantum, vel tres hujusmodi versus invenies; unde temperantior in iis usurpandis, atque adeo abstinentior esse profecto non potuit.

ELECTRICORUM

LIBER II.

SED jam, quae vacuas teneant ſpectacula mentes,
Sit libaſſe ſatis; neque enim ſola inde voluptas
Quaerenda, aſpectu quae lumina paſcat inani.
Nunc ad doctorum, quod noſtra exorſa requirunt,
Ordine progrediar memoranda reperta virorum;
Et ſimul inventis aliquod ſuperaddere tantis,
Si Muſae annuerint, adſitque vocatus Apollo,
Enitar decus, & pimplaeum afflare leporem.

Praecipua experimenta ad ſuas claſſes rediguntur.

Ac jam, praeſaga quod rebar mente futurum,
Expertus didici, verbis haec vincere magnum
Quam ſit; & humanas quantum quae plurima mentes
Dulcibus illecebris capere innexaſque tenere
Suevit, meque iſtis illectum blandius orſis
Implicuit, Novitas auſis praeſtantibus obſtet.
Hac fit, ut indictis verborum in rebus egeſtas
Te premat, & veterum nequidquam opera inclyta vatum
Explores; nequidquam animo Latium omne peragres.
Nuſquam cogere opes; nuſquam depaſcere honorem
Inſignem vocum datur, atque avertere gazam,
Unde nitens oculos blando fulgore legentum

Difficultas materiae tractandae expenditur.

Praestinguat (*a*) verbis res illustrata latinis.
Adde, quod absurdis quae vix non vocibus usus
Extuleris, numerisque aegre concluseris arctis,
Duras ad Pindi leges atque aspera jura,
Aonidum multo sunt perspergenda lepore.
Sed me, Parnassi tendentem ad culmina, laudis
Urget amor. juvat ire jugis, qua nulla priorum
Pressa solo tritum signant vestigia callem;
Atque meo exsortem capiti petere inde coronam.

Digressio de laudibus Caroli Noceti Soc. J.

Nam quid in angustis hominum sollertia rebus;
Quid vis, cum voluit, non extudit? ecce repertus, (*b*)
Ecce

(*a*) Vide adnotationem superiorem pagina 21., ubi ratio redditur cur hoc verbum ita efferatur.

(*b*) Carolus Nocetus Societ. Jesu Theologus insignis, & Poeta excellens plura reliquit in utraque facultate & theologica & poetica, singularis atque eximii, quo praeditus erat, ingenii monumenta. Quod attinet ad Theologica egregium opus scripsit, In quo Theologorum Societ. Jesu, qui ab Adversario quodam in crimen corruptae morum disciplinae vocabantur, causam suscepit. Nihil eo in opere ad simplicis veritatis trutinam non exactum; ut qui illud legat, inquirendae veritatis, & falsa a veris dijudicandi rationem condiscat. Tanta vero moderatione animi in eo scribendo Nocetus usus est, ut Adversarium refellat quidem, sed a conviciis omnino abstineat. Opus autem Romae prodiit an. 1753. Sed, his omissis, quae a nostro instituto aliena sunt, quod ad poetica monumenta pertinet, praeter eclogas quasdam Romae an. 1751. una cum eclogis Renati Rapini e Soc. Jesu impressas, scripsit philosophica poemata duo elegantissima, unum *de Iride*, alterum *de Aurora boreali*, quae primum Romae an. 1747. cum adnotationibus Rogerii Boschovichii in lucem prodierunt, deinde Parisiis impressa sunt sine adnotationibus an. 1749. Utrumque autem poema in italicum idioma elegantissimis etruscis carminibus ab Antonio Ambrogio Soc. Jesu conversum jam pridem Florentiae in lucem prodiit an. 1755. Nunc vero nova eorumdem poematum adornatur editio, quae tum Boschovichii adnotationes, tum Ambro-

Ecce Vir, ingenio praeſtans, qui carmine plenum
Incurva aggreſſus quem linea conficit orbem,
(Ardua res!) ſpatiis ſegmenta in quattuor aequis
Diffidit; inque gradus decies ſegmenta novenos
Singula partitus, magnos traduxit ad uſus. *Poemata Noceti.*
Nempe hinc ignotos roſeae Thaumantidos ortus
Prodidit, &, certa repetens ab origine cauſam, *Iris.*
Oſtendit, medio cur fulgeat aethere in arcum
Flexa, & multiplici gaudens pulcherrima cultu
Explicet adverſo cur non niſi ſole colores.
Tum varios idem flexus, varioſque reflexus,
Refractuſque docet radiorum. his aurea lucis
Verſicolaratae ſubnectit ſtamina; nevit
Quae Pater ipſe ſua, textum admirabile, dextra,
Cum lunam, & late colluſtrantem omnia ſolem
Conderet, inferretque polo fulgentia ſigna,
Et totum variis diſtingueret ignibus axem.
Quid? quod hyperboreas auſus penetrare ſub oras; *Aurora Borealis.*
Et magni illuſtrans praeclara inventa Merani (*a*)
Parrhaſiam cecinit divino carmine lucem.

 Illa,

brogii verſionem complexa, & nitore priores & rerum copia ſuperabit. Ad haec Poemata in ſua digreſſione alludit poeta noſter, & plura interſerit ab ipſo Noceto deſumpta; ut illa de lucis radiis coloratis, & illa alia de inani imperitae multitudinis formidine dira quaeque, ex inuſitato flammarum borealium aſpectu, ſibi ominantis, quae fuſius expreſſa in Noceto leguntur. Originem vero Aurorae borealis, quam breviter poeta noſter exponit, ea eſt omnino, quae a Noceto in ſuo Poemate traditur.

(*a*) Mairanus Academiae Pariſienſis a Secretis auctor ſententiae, quam Nocetus illuſtrat.

Illa, humilem ſpernens, & dedignata jacentem
Nimborum patriam, noſtro procul orbe recedit
Ardua, ſeque polo ſpectandam praebet ab alto.
Attonitae vulgo longe lateque nigranti
Mirantur gentes fulgentem in nocte; novoque
Pectora concuſſae monſtro, ſibi dira parari
Excidia, & caecos metuunt inſtare tumultus.
Ah! miſerae; ah! nimium trepida formidine captae
Ignarae gentes, tantos ne fingite caſus

Aurora Borealis nihil triſte portendit.

Nequidquam; vanas animo depellite curas.
Non illa (a) ultrices offenſi numinis iras,
Peſtemve, horribilemve famem, aut lacrymabile bellum
Funeſto miſeris denunciat omine terris.

Origo Aurorę Borealis.

Scilicet innocuo per opacam lumine noctem
Fulget; & aetheream referens primordia ad auram,
Quae circumfuſo refluit Titanis ab orbe,
Ingreditur caelo Phoebi omniparentis alumna,
Edoniqae nitet Boreae de parte nivali,
Aemula puniceae Aurorae, cum mane ſerenum
Exerit alma caput, nimbo ſuccinta roſarum.
Haec ille, Arcadiae coetu aſſurgente, canebat
Tybridis ad ripam; Tybris miranda canentem

Suſ-

(a) Vetus fuit error hujuſmodi phaenomena ſemper aliquid triſte atque exitiale mortalibus portendere, aetate vero hac noſtra veterum credulitas ex improviſo horum phaenomenorum aſpectu ſibi dira quaeque metuentium jure ac merito ridetur. Cauſarum ignoratio falſam induxit opinionem, falſa opinio vanas conjectationes, certamque formidinem.

Suspexit, plausumque dedit; cui Sequana longe
Respondens, totis applausit Sequana ripis.
Felix sorte tua, quem non ignava sequutum
Otia de summo praesens aspexit olympo
Uranie, faciles cui nulla exorsa Camoenae
Abnuerunt; perge occultas disquirere caussas, *Adhortatio ad Carolum Nocetum.*
Nomen & aeternis victurum intexere chartis.
Perge novas tentare vias felicibus usus
Auspiciis, priscoque inventa recentia comptu
Ornare, & musis exculta efferre latinis.

Verum quid loquor (a)? & nil proficientia verba *Correctio.*
Effundo in ventos? heu! spe dum pascor inani,
Grandia praecipiens mecum ipse, & mente volutans,
Heu! te multa animo meditantem, & magna parantem *Mors immatura Caroli Noceti.*
Mors intercepit, lethoque oppressit acerbo.
Occidis, Ausoniae decus immortale palaestrae;
Occidis, Aonidum decus immortale sororum.
Te nemus Arcadiae, flavo te gurgite Tybris
Flevit; & in primis jacturam maxima Roma

(a) Hic poeta inopinatum clarissimi Viri interitum deplorat ac deflet. & merito quidem. eo enim, cum addiscendae Theologiae operam daret, usus est praeceptore, ejusque summam erga se benevolentiam, quandiu vir humanissimus vixit, expertus est. utinam tanto viro diutius vitam propagare licuisset! multo sane plura, quam quae reliquit, in omni doctrinae, sive amoenioris, sive severioris genere haberemus. At, ut inquit ille, *Dis aliter visum*; Deo, inquam, cuncta suo arbitrio disponenti, & sapientissime gubernanti; cujus voluntati repugnare nefas est, immo vero decet omnino acquiescere.

Immeriti doluit capitis. Mors invida ſed te
Elogium Caroli Noceti. Abſtulerit quanquam properato funere; totum
Non tamen eripuit nobis: meliore ſuperſtes
Parte tui vivis; vivis, nomenque vigebit,
Et vetus egregio celebrabitur Apua (a) cive;
Dum juga Parnaſſi cum doctis Phoebus alumnis
Accolet, & pulcras Jove nata tuebitur artes.
Reditus ad propoſitū. Nec minus idcirco tanta haec exempla ſequutus
Ipſe etiam, magnis quanquam conatibus impar,
Intacta pergam ire via; &, qua ſemita nulla eſt,
Praerupti nitar celſa ad faſtigia Pindi.
In primis, ſeu te capiant ſpectacula, ſive
Occultas potior te cura inquirere cauſas
Sollicitet; corpus quod tandem cunque lubebit
Admoviſſe operi, aut ſubmittere luſibus optas,
Non tibi de medio temere ſumatur acervo.
Electio corporum pro capiendis experimentis. Namque inter ſe ſe delectu corpora nullo
Obvia quaeque negant committi. Excepta legantur
De genere illorum, queis vis extrinſecus omnis
Advenit, atque illis diſcas componere, (b) queis vim
Inge-

(a) Apuae nomine patriam Noceti deſignat poeta. Natus eſt Carolus Noceti in Liguriae oppido, vulgo *Pontremoli*, quod eruditi veterem Apuam eſſe contendunt; natus, inquam, loco nobili, atque illuſtri familia. Admodum adoleſcens adſcitus in Societatem Jeſu, in ea ſanctiſſime vixit; & tum patriam, tum Societatem ſingularis doctrinae ac nominis ſui fama maxime honeſtavit.

(b) Ad eum videlicet finem ut virtutem electricam primum combibant, atque ita variis habendis experimentis idonea evadant.

Ingenitam primo natura infevit ab ortu.
Quare prae reliquis fpeciemque genufque notato;
Atque hic praecipuum jam nunc impende laborem.
Ifta tempus erit cum tu laetabere cura;
Et non nequidquam caufas tentaffe juvabit.
Interea hoc teneas, quoties tu cunque rotando
Vitrum exercebis, fignifque inftabis habendis,
Quod vitro excitus nunquam non tramite juffo,
Delectu generis fervato, fluctus agetur;
Contra neglecto; praefcripto a calle recedet
Avius, atque alio, quam quo direxeris, ibit;
Ac demum tenues vagus evanefcet in auras.

Certa derivatio fluctus electrici.

His ita praemonitis, age jam licet ordine longo
Lecta genus ftatuas juxta fe corpora, quae vel
Perpauca exiguo numero, vel plurima; dura
Seu fuerint denfo, feu raro mollia textu;
Ne dubita illapfu quin proluat omnia certo
Fluctus inexhauftum gravido de corpore manans.
Sed quoniam tibi dant non omnia corpora eofdem,
Aft alios alia eventus; adhibenda, docendum,
Quae ratio certis fit certa eventibus, & quo
Quofque modo captes; five haec five illa legendo,
Corpora malueris vitro objectare roranti.

Ac primum, delectu habito, cum fluctus agatur
Sublabens quocumque velis; nunc accipe pacto
Humanos idem quo derivetur in artus;

Experimenta varia derivationis.

Et

Et signa illapsus quae sint manifesta latentis
Fluctus electricus illū excipientibus minime nocet. Disce. Etenim vitri de fonte (*a*) fluentem
Non exosi homines adeo aversantur, ut a se
Omnimodis vulgo curent avertere; at illum
Sponte sua admittunt, atque experiuntur amicum.
Quare age, ne fugito, largus dum manat, eundem
Exceptare sinu, atque ipsi te credere vitro.
Aude animo; &, siqui male provida pectora turbant,
Pelle metus; rapido qua se rota turbine versat,
Ipse adero, facilesque sciens moderabor habenas.
Multi per ludum vitreum excepere vaporem,
Invalidique senes, pueri, teneraeque puellae;
Cautio aliqua adhibenda. Nec quidquam exceptus nocuit, nisi forte rotatum
Grandius ingentes vitrum descripserit orbes.
Modus exceptādi fluctum electricum. Ergo qui rigui tentare pericula (*b*) vitri,
Et caeco gaudent perfundi corpora rore,

Sub-

(*a*) Non ita hic locus intelligendus est, ut ex ipso vitro *immediate*, ut ajunt, electricus fluctus effluat; sed ita, ut, quae copia fluctus collecta aggeritur in superficie vitri, eadem ex ipsa vitri, eam, utpote natura electrici, non recipientis, immo vero respuentis superficie, eadem, inquam, veluti fluat, atque in consequentia secundi generis corpora perpetua irrigatione derivetur. quod autem auctor *fontem* vitrum appellavit, in hoc non rem ipsam, sed rei quandam similitudinem sequutus est; quod Poetae etiam praecipienti, & doctrinam aliquam suo more exponenti videtur non posse jure interdici. Quod hic notavimus, alibi etiam, cum quid simile inciderit (incidet autem saepe), ut brevitati consulamus, notatum volumus.

(*b*) Hoc est experiri; in sequenti versus vel Hellenismus est; nimirum *gaudent se rore perfundi sua* corpora; vel ita intelligendus locus est, ut gaudeant perfundi sua corpora a rore caeco.

Sublimes tripodi insistunt, & serica texta
Subjiciunt plantis; interdum & linea; sed quae
Nariciae prius inducto picis unguine durant.
Hoc faciunt, illos fugiens ne lubrica fallat
Virtus; insinuetque solo, ac diversa feratur.
Dum vero in gyrum magna vi concitus axis
Praerapidos iterat motus, laquearibus altis
Demissam accipiunt dextra, retinentque catenam.
Nec plura. Occultos vis clandestina meatus
Influit, & dicto citius sublapsa catenam
Perluit; inde manum insinuans se se altius abdit.
Verum ita furtivo pede subdola repit, ut omnium
Obtutum eludat; nec quisquam noverit ante
Inclusamque sinu, & praecordia ad intima lapsam;
Quam spectantum aliquis de turba accedat, & ori
Admoveat digitum. tum se celare tenebris
Amplius haud patiens signis erumpit apertis.
Ingeminant ignes; rutilis micat aura favillis. *Signa fluctus jã excepti.*
Non secus ac serpens, duro quem frigore bruma
Pigra domat, teretes in spiram colligit artus,
Torpens, exstincto similis. si forte viator
Praeteriens saxo petat, aut pede presserit; irae
Ignescunt subito, sinuosa volumina caudae
Explicat, attollensque caput, tumidusque veneno
Flammea contorquet vibranti lumine tela.

Non tamen idcirco subitis exterrita flammis

Plu-

Plurima circumſtans ſpectantum turba movetur,
Inque vicem geſtit dextra prenſare catenam;
Et ſalit, & reſilit, tripodique inſiſtere gaudet
Certatim, & nitida corpus perfundere luce.
Jungere quin etiam teretem inſtituere coronam,
Qualem ſaepe ſolent, manibus per mutua junctis,
Cum plaudunt feſta conceſſas luce choreas,
Et ſacra votivis celebrant ſollemnia ludis.

Fluctus electrici derivatio.

Inſiſtit piceo qui princeps ordine textu,
Praetendit dextra nexam de more catenam;
Succedunt alii longo circum atria gyro,
Subjectamque picem calcant; per mutua nexas
Implicitant manibuſve manus, vel brachia jungunt
Conferti inter ſe. Jam ſi de adſtantibus unus,
Cui libet e multis, in frontem, limite juſſo,
Intendens digitum, proceſſerit; inde ſonantem
Excutiet flammam; & cui deinceps cunque propinquet
Eliciet reſonas alternans dextra favillas.

Fluctus per totum corpus diffunditur.

Haec ſunt illapſus certiſſima ſigna; quod autem
Corpora tota omnes obeat diffuſa per artus,
Ut ſemel eſt virtus excepta, patentibus aeque
Indiciis certo dabitur cognoſcere. nanque
Non tantum accedens digitum ſi intenderis ori;
Sed quacunque manum tuleris, flamma exſilit; & jam
Brachiaque, ſcapulaeque ardent, ſuraeque, pedeſque;

Indicia diffuſionis.

Atque hinc atque illinc, dextra variante, coruſcae

Rum-

Rumpunt ſcintillae, & corpus circum omne pererrant.
Sicut, pura labris ubi lympha excepta, nitenti
Argento ſeu perfectis, albove orichalco,
Immiſſos ſolis radios agitata remittit,
Angulus exſurgit varians; & lux modo radit
Ima ſolum; mox in ſummum ſubvecta lacunar
Emicat, & tremulo late loca lumine pingit.
Aut ubi per noctem caelo rima ignea rumpit,
Irrequieta polo volat, & nunc tendit in Auſtrum,
Deflectit mox in Boream; ac prope tempore eodem
Eurumque Zephyrumque petit diverſa, feratur
Sed quocunque, viam claro vaga limite ſignat.

Tota igitur quaecunque voles tibi corpora virtus,
Si ſint perpetuo ſibi ſuccedentia nexu,
Non minus illapſu certo, quam praepete curſu
Imbuet alterius generis (*a*); diverſa ſed inter
Si forte e primo, naturâ *electrica*, ſe ſe
Obtrudant, coeptum, quantumvis tenuia, curſum
Siſtent; atque alio vis interciſa migrabit.
Ceſſabunt ignes, rutilaeque ardere favillae.
Ergo memor variumque genus, ſpeciemque notabis
Praecipue; tum nequa tibi importuna cavebis
Corpora ſe furtim inſinuent, quae ſemine in ipſo
Vivas elidant flammas, atque omnia turbent.

Cavendum ne corpora primi generis derivationem intercipiãt.

Sed jam rumpentis praeſtat cognoſcere formas

Phaenomena ignea.

Diver-

(*a*) Nimirum ſecundi generis communicatione electrica.

Diverſas flammae ; neque enim cum prodit , eandem
Semper amat ſpeciem ; neque eoſdem ſumere vultus .
Varia flā-marū lux. Splendidior nonnunquam , & lucida lumine multo
Praeſtinguit fulgore oculos aciemque tuentum .
Vix micat interdum , atque emergit pallida ; ſicut
Incertam aſpicimus rara inter nubila lunam
Orbe ſubobſcuro caeli per inania ferri ;
Cum pluviam , & triſtes terris denuntiat euros .
Variū flā-marum genus. Inſuper ut multum variat lux ipſa , eademque
Non illi eſt ſemper ſpecies ; ita ſemper eodem
Non educta modo praegnante coërcita vitro
Erumpit ſuperas collucens flamma ſub auras .
Sponte ſua interdum tibi provenit , ac prope nullam
Vim , qua compellas reſidem prodire , requirit .
Et vero, manibus vitreum ſi triveris orbem ,
Quanquam lapſa ſolo jaceat neglecta catena ;
Et rota non ullos ſegnis det ſubdita motus ;
Lucentes , interque manus digitoſque , favillas ,
Obſcuras noctis cernes rutilare per umbras .
Flammae ſpontaneae Haec quoniam erumpit prope ſponte , jacente catena ,
Et ceſſante rota , nomen fecere vocantes
Inde olli . flammae ſpecies eſt altera , nomen
Flammae artificia-les. Inde etiam proprium ſibi nacta , quod arte cietur .
Uſibus haec noſtris apta eſt ; haec ſueta referre
Diverſam varia lucis ſub imagine formam .
Sed quocunque modo tibi ſponte , aut prodeat arte ,

Quam

Quam se se in partem dilabens flamma receptet, *Flammae citissime disparent.*
Ut multum intendas aciem, observare tuendo
Non datur. usque adeo rapido cita lumine fulget;
Et subito ex oculis tenues vanescit in auras.
Sed cita non adeo vanescit flamma, micantis
Cum variam coni, aut stellae formam induit; ut non, *Sidus electricum & Conus electricus.*
Diversam inter se componens lucis & ignis
Et formam & speciem, liquido distinguere possis.
Quas facies adeo varias praetendere nostris
Illudens oculis ignis cum gaudeat; atque hae
Nequaquam temere exsistant, nec forte regantur;
Sed modus & ratio intersit; cognoscere certa
Praestiterit quanam elicias utramlibet arte,
Seu mavis stellae, seu coni exsistere formam.
Cum tibi praerapidos urget globus incitus orbes; *Modus excitandi conum electricum.*
Et sua demittunt pendentem vincla catenam,
Sedulus observa, qua parte ea desinit, utrum
Plana sit, an contra tenuatam cuspis obarmet.
Extrema si parte in acumen desinat; atque huic
Infra exporrectam, praescripto limite, palmam
Si porro admoris; subitam ferri inter acumen,
Subjectamque manum accendi mirabere flammam,
Quae rutili effigiem coni spectantibus offert.
Lata basis plano passae sedet aequore palmae;
Tum se se attollens, apicemque imitata coruscum
Splendentis galeae, tenuato vertice fulget,

Et

Et ciet arguti tibi sibila flamina venti.

Modus excitandi fidus electricum. At vero tensae si pars extrema catenae
Sit plana, atque huic palmam jam non amplius, (illa
Scilicet oblata incassum conabere quidquam
Efficere) at ferri obtuleris tenuantis acumen,
Accensam venti pariter cum murmure flammam
Cernes; sed forma, nec non & luce, priori
Dissimilem flammam; neque enim dat lucida conum;
Sed stellae in morem, quam paullo densior aër
Obnubit caelo, subpallida lumine fulget.
Ut lux languidior se prodit; sic quoque stridor
Tenvior auditur, multoque remissior aurae.

Modus diligenter observandus. Quare age, seu coni libeat, seu sideris ignes
Elicere, proprium observans addiscito morem
Rumpentis flammae; & nunc hanc, nunc protinus illam
Sumere gaudentis speciem: Fac semper acuto
Contendat planum, plano contendat acutum;
Atque tibi varias dabit haec contentio formas.

Diversa etiam habitudo machinae solerter consideranda. Praeterea non est tibi segnius, atque minori
Machina cum nexa studio observanda catena.
Haec si alto suspensa tholo demittat acumen,
Planum autem, quod tu suspensae objeceris, ima
Innitatur humo; contrave, jacente catena,
Machina fulta solo si se subducat, & illi
Adjaceat planum, & terrae innitatur acumen;
Lucidus exoritur tenuato vertice conus.

Sin

Sin disjuncta solo corpus sustentet acutum
Machina, & objectum non ulla cuspide planum
Insistat terrae; aut versa hoc vice machina sidens,
Illud sustineat dependens rite catena;
Languidulum apparet pallenti lumine sidus.
Haec servans, & quae tibi plurima suggeret usus,
Usus & in subitis sollers industria rebus,
Tentando varias, varia ut te forte cupido
Incessat, poteris flammarum educere formas.

Ac jam praecipua tibi nunc exponere cura
Tempus, & egregii memoranda inventa Batavi (*a*)
Pandere; quoque modo violentior ardeat ignis;
Eque vitro interdum referetur flamma trisulci
Fulminis in morem; toto quae plurima caelo
Molitur pater omnipotens, cum vindice dextra
Dejicit aërias, alpina cacumina, rupes,
Atque humili sternit mortalia corda pavore.
Res nova; quaque nihil fortasse sagacius, & qua
Exitiale magis, post aera tonantia bello,
Ferratosque tubos lethali pulvere fartos,
Nil reperit nobis hominum vis effera. id autem,
Si cui forte animum subeat tam dira voluptas
Alitis horrificos imitari fulminis ignes,
Confieri quanam possit ratione, docebo.

Phiala Batavica sive Leidensis.

E Si-

(*a*) Tum Phialae Batavicae, tum Quadri Frankliniani ad clariorem horum experimentorum intelligentiam schema in calce operis exhibetur.

Ratio adhibenda in capiēdo hoc experimento.

Sive ſcyphus, tumido ſeu mavis amphora ventre
Sumitur, ad noſtros aeque aptum utrumlibet uſus;
His labro, aut collo tenus unda infunditur; ipſa,
Quod mirere, ignis violentior exit ab unda.
Sed primum chalybe e tenui, lentove orichalco
Deductum, intentaeque aptum, nexumque catenae
Mergitur in vas, & ſubjectam najada, filum.
Vitreus inde manu capitur ſcyphus; hic ubi dextram
Tempore non longo implevit; ſi forte catenam,
Qui cyathum phialamve tenet, contingere foetam
Audeat, appulſu digiti ſuccenditur ignis
Extemplo; & veluti de nube excuſſa tonante
Flamma ruit; ſequitur crepituſque & plaga ruentem.

Flammae e phiala erūpentis vis incredibilis.

Atque hic jam vitreos tibi non tentare vapores,
Nec prope te certae ſuadebo opponere morti.
Paene ſuo invento confidentiſſimus auctor
Exſtinctus periit; ceu fulminis ictus ab igni,
Exanimiſque tremenſque, ſolo perculſus inhaeſit;
Atque aegre vix tandem auras animamque recepit.
Uſque adeo horribili plaga impete concutit artus;
Majoreſque ipſa vires capit ignis ab unda.
Quanquam queis animi vis, & praeſentia major,
Et quos laudis agunt ſtimuli, ſe credere flammis
Ignotis minime dubitant, quin nectere iidem
Haud veriti implicitas ſecum per mutua dextras;
Praeſidio hoc uſi tantummodo, quod ſibi vitri

Ele-

Elegere modum brevioris ; caetera nudi
Se ſe auſi exitio , ac flammae objectare furenti .
Te vero inſuetam nova tentamenta per artem *Vitandum periculum.*
Non ita delectent ; atque experientia tanti
Nequa ſit, ut demens gravius diſcrimen adire
Contemnas ; lethumque velis pro laude paciſci .
Hanc illis ſinito , damnat quos exitus ; & quos
Tranſverſum abductos recto de tramite ſecum
Plerunque in praeceps rapit inconſulta cupido .

Nec vero trifidas ſimplex extundere flammas *Quadrum, quod vocāt franklinianum.*
Eſt modus ; ingenioſa hominum ſollertia quando
Noſtram in perniciem ſemper fuit . accipe quadram
Lucenti e vitro, quales aptare feneſtris
Suemus , ventorum rabidas munimen ad iras ,
Atque exceptandae phoebeae lucis in uſum .
Huic ſuper in tenues diſtentum inducito lamnas *Modus capiendi hoc experimentum.*
Parte ab utraque aurum ſic , ut non ambiat oras
Extremas quadrae ; accedat pars una catenae ,
Altera ſubjectam terram deſpectet , & illi ,
Corpore ſubſtrato , nitatur , & altior exſtet .
Sic poſitam linque . haud longo poſt tempore , palmam
Siquis ſubjiciat quadrae , faciemque ſupernam
Contingat digito incumbens ; ſuccenſa repente
Acrem dat ſonitum , & rumpit cum vulnere flamma .

Hic iterum ſubitae conterritus impete flammae *Rurſus vitandum periculum.*
Non ego non adeo fuerim male providus, igni

 Ut

Ut te aufim temere rapido committere; namque
Et plaga inde venit gravior, propiufque periclo
Accedit, quam rere, timor; multo minus idem
Auctor ero, ut teretem nectas de more coronam,
Et focia infertis conjungas agmina dextris.
Quin te ftare procul jubeo, & fervare tuendo,
Et faciles conferre oculos per fingula longe.

Summ flammae vis.

Afpicis erumpens ut praeceps flamma fupremam
Perniciem lethumque viris minitetur? ut acri
Percellens quatiat tentantum corpora motu?
Pectora torquentur; jactantur brachia; totofque
Altius infinuans idem tremor occupat artus.
Proceffus quoque, nec non incrementa notabis,
Si paullo intendas oculos, atque omnia luftres,
Rumpentis flammae; neque enim cum rumpit, eafdem
Expromit femper vires. intenditur ignis;
Proque modo vitri violentior influit artus,
Et graviore quatit vibratos impete nervos.

Vim flammae effectus demonftrant.

Hinc rea multiplicis patrati funeris audit, (a)
Foedaque non uno damnatur crimine (b) flamma.
Et primum letho parvas fuccenfa volantes

Il-

(a) Hoc eft, mala fama laborat. Cicero lib. 3. de finibus cap. 17. *Eft hominis ingenui velle bene audire ab omnibus.* Et Horatius lib. 1. ep. 16. *Tu recte vivis, fi curas effe, quid audis.*

(b) Duriufcula, aut fortaffe etiam minus recta haec constructio videri poterit; fed Ovidii exemplo defenditur. Faft. lib. 5. fub finem, *Sceleris crimine damnat avos.* damno enim hoc loco pro *culpo* & *arguo* ufurpatur.

Illa dedit; vacuo ludentes aëre muſcas,
Siquas forte tulit praeter vis incita curſus;
Atque importunum culicum genus; inde volucres
Pennigeras aggreſſa, ipſas quoque perdidit auſu
Majore, & letho inſontes affecit eodem.

Vidi ego, qui flammae ſpecimen captare potentis
Cum vellet, vitreae male cautus Acanthida quadrae
Objecit, qua non formoſior ulla; decoras
Picta croco pennas, minioque interlita rubro
Diſtinctum tergus; neque doctior altera, ſurgens
Cum roſeus terras primo irroraret eoo
Lucifer, arguto molles dare gutture cantus,
Aëraque, & Zephyros cantu mulcere ſerenos,
Adde, quod implumem nido detraxerat olim,
Et docilem primis volucrem formaverat annis
Aſſuetam imperio. domini nutu illa vocantis,
Norat praetrepidis feſtiva accurrere pennis,
Appetere & digitum, blandoque laceſſere morſu.
At peſti infelix fato devota futurae,
Teter ſulphureas ubi nidor detulit auras,
Afflavitque ignem; ceu tacta tricuſpide telo,
Attonita, exanimis, totos primum tremere artus;
Tum croceas ſenſim diducens tergore plumas,
Aureolumque caput, tereti cervice reflexa,
Demittens, miſerum! interiit, lucemque reliquit.
Illam fleverunt Zephyri, quos ſaepe morantes,

Experimentum captū in avicula.

Aviculae dotes.

Aviculae interitus.

Defletur mors.

Et

Et liquida insoliti captos dulcedine cantus
Immotis tenuit caeli per inania pennis.
Ipse illam, ante alios, heu! diri funeris auctor
Flevit, & ore fovens, & pressis oscula labris
Ingeminans, vitam nequidquam arcessere, quae jam
Consumpta in ventos, tenuesque recesserat auras.
Quare exploratis haec cum sint cognita signis,
Colligere hinc certo poteris, vehementior ignis
Quanta vi ruat; utque ipsos irrumpat in artus
Exitium importans. Et vero noxia flamma,
Hoc pacto succensa, hominem subito quoque letho
Sterneret exanimem; modo si concessa potestas
Id foret audendi. Tu porro cautus, & istis
Doctus ab exemplis, alieno disce periclo
Fulmineae, rursus moneo, non fidere quadrae.

Phaenomena attractionis.

Sed jam elapsus flammis, & discrimine tanto
Defunctus, quae nunc eventa innoxia restant,
Contemplare, omni posita formidine, mecum.
Nullae hic insidiae; nulli hic, absiste vereri,
Qui lethum intentent flammis ultricibus ignes.
Innocui lusus. pendenti admota catenae
Corpora rapta vides; paleas, plumasque volantes,
Bracteolas tenues argenti & ductilis auri;
Multaque praeterea correpta accedere ferro
Secta minutatim, atque exili corpora mole;
Mox eadem, ut paulum suspensa haesere, repelli.

Quo-

Quorum de genere hic possum tibi multa referre ;
Ni refugis , variosque piget cognoscere lusus .
Innectas tensae filum si tenve catenae ,
Mox digitum admoveas pendenti , appellere filum
Ad digitum cernes , subitoque accedere nisu .
Sin autem tripode insistens sublimis ab alto
Serica texta premas pedibus , seu linea mavis
Inducta durata pice , acccipiatque catenam
Dextera ; tum nullus pendenti in stamine motus .
Stabit iners ; digitum nequidquam ostenderis , ullam
Non se se in partem , digito accedente , movebit .
Quod si desilias tripode , & bombycina texta ,
Idaeamve picem plantis subduxeris , idemque
Accedens aliud si filum obtenderis illi ,
Quod tibi jam vinctum ferro innexumque pependit ,
Alterum ad attactum alterius contendere , & arcte
Amplecti admirans se fila sequacia cernes .
Haec pauca e multis virtutis signa trahentis .

Experimenta varia attractionis.

Signa repellentis modo si nonnulla requiras ;
Haudquaquam deerunt ; quin acri plurima cura
Machina cum nexa dabit inspicienda catena .
Arida contorto lini de stamine fila
Si duo conjungas simul , innectasque catenae ;
Curvari sensim , inque vicem diducta videbis
Tendere in oppositas , se se fugientia , partes .
Inter te vero si jusseris atque catenam

Virtutis repellentis experimenta varia.

Bombycum e laqueis medium de ſubere pondus
Suſpendi , incipiet confeſtim ſponte moveri ;
Saepe iterare viam , & ſpatio decurrere eodem ;
Te petet ; & motu petet alternante catenam ,
Et vacuo curvos deſcribet in aëre tractus .
Demiſſa hoc pacto , & Serum pendentia nodis
Edunt aera ſonos , nullo pulſante canora ,
Tinnituſque injuſſa cient . ſtupet inſcia monſtro
Attonitis inhians animis circumflua turba .
Hinc porro eventus varii , & ſpectacula mille
Diverſis exorta modis ; luſuſque jocique
Venere innumeri ; atque aliquis ſollertior , (*a*) acri
Uſus & ingenio felicius , hinc ſibi clarum
Nomen ab invento , quo non praeclarius ullum
Hacterius eſt numero in tanto fortaſſe repertum ,
Aeternamque nova famam quaeſivit ab arte .

Virtutis repellētis indicia fallacia ſunt.

Verum , quod ſumma modo cura eſt ante cavendum ;
Iſtis , praemoneo , ne decipiare videto
Indiciis ; & quae virtutis plurima cernes
Signa repellentis , tibi ſint ſuſpecta , fidemque
His ne praepropere adjungas ; quae ſcilicet ipſe
Poſtea damnabis , cum certo tempore cauſam

Inſti-

(*a*) Intellige Ludovicum de la Borde Gallum e Soc. Jeſu, qui novum quoddam admirabilis artificii *cymbalum* , quod *electricum* vocat , excogitavit . Sed de cymbalo ejuſque auctore plura occurrent lib.4., ubi & nova Labordii virtutis electricae theoria , & cymbali electrici conſtructio fuſe a poeta verſibus exponuntur .

Institues harum mecum disquirere rerum.

Quod reliquum est, eadem vis & condensa remittit, *Phaenomena rarefactionis, & condensationis.*
Et rara addensat. vigiles sed & hic quoque praestat
Intendisse oculos; ea si te cura remordet
Haudquaquam (*a*) induci signis fallacibus, & si
Te manet inventae praesignis gloria causae,
Vis etenim miranda tibi, quae rara, coarctat
In speciem tantum; contra, quae densa, remittit
Attenuans re ipsa. & generatim, obstructa porisve
Contracta angustis, eadem diducta relaxat.

Hic vero fraudes non est, suspectaque signa *Indicia rarefactionis certa sunt.*
Cur dubius metuas; virtutis scilicet hoc est
Nostrae adeo proprium, ut nil sit veracibus aeque
Compertum indiciis. Violento hoc turbine quadra
In primis vitrea ostendit; cui, si tibi parcens,
Objicias crassam, textu densante, papyrum,
Disjicit objectam, atque in filamenta resolvit.

Verum hac, unde ruit violentior ignis, omissa;
Plurima non desunt, quae si observentur, id ipsum
Non dubiis manifesta dabunt cognoscere signis.
Emissa aethereas tenui siphone sub auras, *Experimenta varia rarefactionis.*
Si primum vitri vim sensit lympha rotantis,
Scinditur in rorem, & guttas discreta minutas.
Si vero inductis, exacta luce, tenebris,

Atria

(*a*) Hoc est decipi. Cicero in exordio orationis in Pisonem; *hic* (nempe vultus) *eos, quibus erat ignotus* *decepit, fefellit, induxit*, nonnulli vero supplent *infraudem*.

Atria nigranti nox caeca obnubat amictu ,
Lucentes guttas , rutilum mirabere rorem .
Quod sol attenuans , & quod Vulcanus aheno
Subjectus spumante facit , cum solvit aquosam
In nebulam latices ; hoc vis tibi praestat , & undam
Dispersam in volucres cogit rarescere fumos .
Non tantum (hoc ipsum expertis si credere par est)
Epoto gaudent genitalia semina fonte ;
Quantum si multo vitri prius uvida rore
Committas terrae ; occultum namque inde vigorem
Concipiunt , & laeta solo rumpentia surgunt .
Nec longum in medio tempus . Jam brachia late
Protendit ramis arbos frondentibus ; & jam
Sufficit optatas aestum vitantibus umbras .

Fluctus electricus salutaris est.

Commoda quin etiam (a) tibi vis , si providus illa
Uti condiscas ; nec vero commoda solum
Proveniet ; sed eandem etiam experiere salubrem .
Quare tegmento non est cur segnia multo
Strata ; vaporiferis cur uda aut balnea thermis ,
Sudorem siquando velis excire , requiras .

Sudorem elicit.

Vis eadem insinuans tibi quippe angusta relaxat
Spiramenta cutis ; nec non etiam ipsa , meatus
Eluctata novos , plures , ubi nulla patebat
Ante , vias aperit ; stillans animantibus unde

Li-

(a) Commoda , quae a virtute electrica percipi possunt , atque adeo a multis percepta jam sunt , infra gravissimis allatis testimoniis asseruntur .

Liquitur ubertim membris rorantibus humor.
Haec cum non dubiam possent meruisse videri
Saepe iterata fidem; subtilius inquirentes,
Atque usi quidam sollertis acumine mentis,
Collegere; forent quae nostro in corpore forte
Densa nimis, clausisque obstructa meatibus; unde
Vivida per totos vis didita spargitur artus;
Diffuso vitri late per viscera fluctu
Dissolvi posse, & patefacto calle recludi.
Jamque adeo vitreos intus levere cylindros
Paeonioque oleo, redolentis & unguine nardi;
Quaeque rati variis magis apta & idonea morbis
Vincendis, & jam solito non more domandis,
Induxere tubis medicatis pharmaca; quo, cum
Effluit ex vitro, susceptaque corpore toto
Miscet agens se se virtus, secum avehat una,
Una eademque via dirae mala semina labis,
Altius & longis quidquid persedit ab annis.
Quo facto, reseret calles; obstructa recludat;
Et, quae sunt pigro lentore tenacia, solvat.
At vero siquos nulla experientia fugit,
Et praesens morbi ratio sic poscere visa,
Non dubitant medio suspendere in aëre corpus,
Innexis alte celsa ad laquearia vinclis.
His se demittunt; his se per inania librant;
Atque ita librati resupino corpore, vitro

Medetur variis morborum generibus.

Tubi electrici in usum medicinae inventi.

Quomodo hi tubi adhibeantur.

Ob-

Obvertunt plantas ; quo ſe vis altius abdat ,
Inque imas ſubeat penitus ſuſcepta medullas .
Salutares effectus inde ſequuti. Et non nequidquam . namque eſt perſaepe ſalubris
Inventa ; ac multi , quos dudum nulla medentum
Subſidia , aut lectae juvere in montibus herbae ,
Hac ope quaeſitum ſubito cepere levamen .
Morbi fugati. Inde novus membris venit vigor ; inde (*a*) maligni
Pro-

(*a*) Ordo rerum inverſus atque praepoſterus ; prius enim morbi diſcutiuntur , quam corporibus vigor atque integra ſanitas reſtituatur . Haec ego cum poetae objicerē , & vehementius inſtarem , ut locum emendaret , ſeverioris critici animadverſionem aſpernatus multa reſpondit ; hujuſmodi inverſionum apud optimos quoſque auctores exempla ſuppetere ; inter alia locum illum attulit Virgilii Georgic. lib.1. v.175. ; *Et ſuſpenſa focis explorat robora fumus* , quo verſu ſummus ille Poeta totam aratri , quam ante deſcripſerat, conſtructionem concludit . Et ſane robora , prius quam e ſylvis deciſa dolentur , conformentur , inflectantur , ut ratio hujus artefacti poſtulat , prius denique quam operi admoveantur , & aratri formam accipiant , robora inquam ad ignem ſuſpenduntur, eorumque vis & praeſtantia exploratur ; Quare ſeries , & rerum ordo requiſiviſſet , ut quod ultimo loco reſervatum fuit , id ante *burim* , *aures* , *temonem* , *dentalia* , *jugum* , & *ſtivam* , quae partes deſcripti aratri ſunt, collocaretur . Allato hoc tam illuſtri exemplo , aliiſque aeque illuſtribus ac luculentis , quae nos brevitati conſulentes omittimus, nonnulla alia loca defendit , quae fortaſſe hoc in opere *naſo* , ut ait ille , *ſuſpendi adunco* ab acriori , & ſcrupuloſiori critico poſſent . Caeterum addidit , exiſtimare ſe , nullum eſſe vitium cum a Poetis , tum ab Oratoribus cavendum magis , quam nimiam diligentiam, qua plerunque fit , ut , quae ſcribuntur , exſanguia , exſucca , ſtrigoſa evadant , omnique penitus ſucco illo ac colore , qui certus bonae valetudinis index eſt , deſtituantur ; ut enim corpora , contracta macie , omnem venuſtatem amittunt ; ita poematis , & orationibus dignitas omnis deperit , & quaedam veluti macies inducitur , ſi acrius in ea inquiratur , & nullus adhibendae limae ſit modus ; cavendam
qui-

Protinus affecto discussi a corpore morbi.
Et vero plures, (a) tristi quos rheumata lecto *Rheumata abacta.*
Pro-

quidem negligentiam esse, sed nimiam quoque diligentiam fugiendam, & certo quodam temperamento utendū in omnibus, quod extrema vitet, quae semper vitiosa sunt. Ita, cum objecissem duriorem mihi videri constructionem illā, que supra occurrit p.65. vers.14. *Fulminis in morem toto, quae plurima caelo*; statim Virgilii versū opposuit Aen.lib.8.ver.427. *His informatum manibus, jam parte polita, fulmen erat, toto Genitor quae plurima caelo dejicit in terras*.

(a) Qui admirabiles sane multi virtutis electricae effectus a poeta nostro referuntur, atque ii praesertim, qui ad morborum curationem spectant, certissimo clarissimorum Virorum, Medicinae laude praecellentium, testimonio comprobantur. Audiendus omnino est inter omnes Joannes Franciscus Pivatus, Vir doctissimus, & Academicus Bononiensis, in epistola *super electricitate* ad celeberrimum Franciscum Mariam Zanottum Venetiis IV. Kal. Sextil. an. 1747. Bononiam data, quae in Calogerianae collectionis tom.38. prima occurrit; cujus epistolae excerptam particulam, & fideliter exscriptam hic subjicimus.

Frà varj casi succedutimi, un giovane Cavaliere di età di circa 26. anni, molestato da una pertinace flussione nelle gambe, cagionata, come mi disse, da varj disordini, e specialmente dall'essersi più volte bagnato, ed asciugato l'acqua in dosso, nel passato inverno, si era ridotto a segno di non poter quasi più caminare, sentendosi le gambe stesse come perdute. Nella scorsa primavera fu curato da' medici metodicamente, ed in ultimo gli furono dati i brodi di vipera, dal che aveva ritratto qualche sollievo, ma non intiera guarigione, nè poteva valersi del moto liberamente. Invogliossi di provare l'elettrizzazione, e disse avergliela accordata anche il medico. Portossi adunque in casa mia lo elettrizzai con un vaso adattato alla natura del male, facendogli uscire più volte le solite scintille dalle gambe, in particolare dalla più offesa, e ciò per pochi minuti. La notte seguente, contro il suo solito, dormì saporitamente senza provare le consuete sue smanie ed agitazioni, e la mattina dopo mi fece vedere una piccola enfiaggione di quattro dita bislunga, alquanto rossa e dura, vicina alla cavicchia del piede sinistro, la quale cagionava un leggier prurito senza dolore alcuno, benchè si sentisse come un
umor

Proftrarant ; & quos podagrae vinxere tenaces ;

Podagrici solutae. Cogebatque acris morbi vis effera luces

Moe-

umor caldo per tutta la gamba, dal che argomentai di aver posta in moto tutta la flussione. Per otto giorni, ogni mattina, dopo un quietissimo sonno si trovò così sudata quella gamba dal mezzo in giù, che pareva fosse stata adacquata. Egli asciugolla, ed in capo a questo tempo si trovò così libero e sano, quanto lo era prima di aver alcun incommodo; anzi dopo avermi cortesemente resa conto di tutto, acciocchè potessi farne memoria per mia regola, si è partito per la villa.

Pochi giorni dopo venne da me Monsignor Vescovo di Sibenico, che di presente si trova in Venezia, con due PP. Maestri de' Conventuali, ed un Medico, e ricercommi di far pruova della elettricità medica. Questo Prelato in età di 75. anni si ritrovava attratte le dita delle mani da una invecchiata chiragra, a segno che le teneva sempre rannicchiate a mezz' aria, senza potere da molti anni chiudere affatto, o aprire la mano. Era similmente molestato dalla podagra in guisa, che si faceva dar braccio per caminare, nè poteva piegar le ginocchia, e nell' andare a letto, dopo essersi posto a sedere, erano costretti i servidori a portarvi a poco a poco le gambe col rimanente del corpo. Adoperai in questo caso per la elettrizzazione un cilindro con materie discuzienti ed antipopletiche. Appena cominciò l'elettrizzazione, che il Prelato, con suo stupore, cominciò ad avere qualche moto nelle dita. Lo lasciai un poco in riposo, osservando in tanto cogli altri qualche fenomeno fisico nella machina. ma egli impaziente per lo miglioramento veduto, volle tornare di nuovo ad elettrizzarsi collo stesso vaso. Si replicò adunque l'operazione per due minuti in circa; ed ecco che Monsignore apre a vista di tutti ambedue le mani, le stringe in pugno, ed ha forza tale, che preso nel braccio uno di quei Religiosi, questi fu costretto subito a pregarlo, che lo lasciasse, perchè lo stringeva con troppa forza, dove prima non ne aveva punto. Si mise a sedere, e passeggiare da sè, battere le mani una con l' altra, stropicciandole francamente; volle inginocchiarsi da sè solo sopra una sedia di appoggio; pestava co' piedi la terra, e protestava, che non capiva se sognasse, o fosse desto, dimandando a tutti di sua conoscenza se l' avevano mai veduto a fare tali pruove. Confessò il Medico,

Moerentes luces, somni sine munere noctes
Ducere; nec diro requies erat ulla dolori;
Hinc desperatam relevati hausere salutem.
Nec minus experti fusum per membra vigorem *Paralysis curata.*
Irrepsisse novum, rediere ad pristina vitae
Munia, jamdudum queis vis defecerat omnis,
Aegraque nutabant resolutis corpora nervis.
Quid memorem, quos rerum oblivio ceperat; & queis *Memoria instaurata, & laethalis sopor discussus.*
Lethifer oppressos sopor illaqueaverat artus?
Quid? qui concubia, dictu miserabile! nocte
Surgere de stratis sueti, somnoque sepulti
Incerti errare in tenebris; miseris quoque praesens
Auxilium hinc venit, certa & medicina reperta est,
Nec vos non, diae quos usus lucis ademptus *Caecitas depulsa.*
Perpetuis atrae noctis damnaverat umbris,
Subsidium sensistis idem. lux reddita caecis

Alma

dico, che a tutto era presente, che la medicina in fatti in mali simili non aveva che cure palliative ricorrenti alla medicatura universale, che giovavano solamente per rendere men gravoso l'incommodo; aver poco di preciso da applicare, e nulla in fatti di specifico valevole, e molto meno d' instantaneo, come questo. Nel partirsi non volle più appoggio il Prelato, scese francamente le scale, ed entrò nella sua barca quasi come un giovane vigoroso, sempre decantando, come mi fu riferito, presso tutti il prodigio, dic' egli, *che in sè stesso aveva veduto.*

Ex hac postrema & tam subita desperatissimi morbi curatione, quid de reliquis alio in genere curationibus, quae a poeta nostro commemorantur, sentiendum sit, lector conjiciet. Et sane si rationum momenta, quae suo loco afferentur, quis expenderit, quae de virtute electrica mira sane ac stupenda narrantur, incredibilia minime judicabit.

Alma oculis, longos frustra quaesita per annos;
Et tandem exactae, discussa nocte, tenebrae.
Haec vulgo arctois (*a*) portenta in finibus, acri
Edidit ingenio & multa Vir nobilis arte;
Qui miram sollers medicos traduxit ad usus
Virtutem, remedique novum mortalibus aegris
Ostendit genus. Insolitis exterrita monstris
Natura obstupuit, vires mirata repente
Infirma illapsas languentum in corpora; & actos
Praecipites passim tenebrosa in tartara morbos.

(*a*) Requisitus poeta a me, ut nomen ejus proferret, qui tot ac tanta in *finibus arctois* portenta edidisset, respondit; se rem multis ante annis legisse, hominis tunc & nomen & patriam in scheda adnotasse, sed utrunque e memoria excidisse; neque vero suppetias a scheda exspectari posse, quae & ipsa periit, & diligentius conquisita nusquam apparuit. Sed facilis jactura est; quandoquidem quae exposita hucusque a poeta sunt, satis, opinor, allatis a me superioribus testimoniis, atque ipsa teste & adstipulatrice, ut ait poeta noster lib.5., experientia confirmantur.



ELE-

ELECTRICORUM

LIBER III.

HAC exposta tenus, cura quae comperit acri,
Prodidit & certis vigil experientia signis.
Nunc juvat ad causas paullatim accedere, & omnes
Pertentare aditus; siqua ratione retrusas,
Depressasque alte in tenebris educere possim,
Et superi claras efferre in luminis oras.
Sed, prius occultos quam vestigare recessus
Causarum incipio, latebrasque subire repostas,
Proderit, incautam quae possent fallere mentem,
Discutere, atque omni jam nunc praevertere cura.
Disponenda suo sunt quippe ea tempore, quae post
Non infecta velis, ita cultor providus agri
Non ante ignotae committit semina terrae,
Semina quae repetat multo cum foenore; rura
Quam crebro invisens, & falce armatus adunca,
Sentibus excisis, subjecto aut protinus igni,
Purgaritque solum, vitiumque excoxerit omne.
Tum super inducto ridet bene cultus aratro
Laetus ager; veniunt segetes, & sidere certo
Maturis late campus flavescit aristis.

Effectum electricorũ causa investigatur.

Opiniones contrariae prius expendendae.

 Aethe-

Opinionũ varietas.

Aethereas nobis ut primum educta sub auras
Ostendit se se virtus, & lumina vulgo
Perculit, incessit subito nova quenque cupido
Tantarum ignotas rerum disquirere causas.
Hinc varii extuderunt varia, ut sententia sedit
Cuique sua; inque dies quanto caput altius illa
Extulit, usque nova ostentans spectacula; tanto
Acrior exorta est atque inflammata cupido.
Quaedam adeo, ut se prima dabant exordia, certam
Visa aperire viam, tuto qua tramite posset
Accedi occultae penetralia ad intima causae.
Inde animo illabens sensus jucunda voluptas
Mulcere, & blando percellere pectora motu;
Plaudere quisque sibi, atque suo prope poscere jure
Sollemnem indici Capitolia ad alta triumphum.

Indicia multos fefellerunt.

Heu vanae mentes hominum, atque improvida corda!
Quam saepe, objecto veri sub imagine falso,
Decipimur miseri, & specie oblectamur inani!
Nanque in processu, propius dum singula lustrant,
Et causas tendunt investigare latentes,
Extemplo patuit fraus; & detecta fefellit
Conatus frustrata omnes; tum gaudia ferre
Inconsulta dedit rapidis ludibria ventis.
Susceptae incassum curae, spes irrita cessit.
Non secus, ac siquem non exsaturabilis auri
Coepit sacra fames, & habendi insana libido,

No-

Noctes atque dies fornacibus instat anhelis .
Multa movet , trepidatque simul , perque omnia versat
Usque coquens recoquensque eadem;nec pergere demens
Cessat , dum flamma intereant consumpta voraci
Non bene (*a*) *junctarum discordia semina rerum* .
Tum demum votis , & spe dejectus inani ,
Infelix imo nil praeter repperit unam
Pauperiem fundo , & duros superesse labores .
Caetera in aërias teter vapor extulit auras .
Usque adeo indici fas est non ante triumphum ;
Quam summo delapsa polo , plaudentibus alis
Antevolet currum , & caelo spectabilis alto
Deferat ipsa tibi meritam Victoria palmam .
His igitur doctus monitis , vigil omnia tecum
Incertus dubiusque animi , patiensque laboris

Indicia diligenter expendenda .

(*a*) Versiculus ex Ovid. l. 1. Met. excerptus & non inconcinne huic loco accommodatus . Quod quidem non modo sine furti nota fieri potest ; sed etiam a praestantissimis Poetis factitatum in eorum operibus & offendimus , & admiramur . Audiendus omnino est quid hoc de imitationis genere sentiat , atque praecipiat excellens idem Poeta , & poeticae artis Doctor Hieronymus Vida , qui Poet. lib.3. v.210. haec habet. *Atque ideo ex priscis semper quo more loquamur Discendum , quorum depascimur aurea dicta , Praecipuumque avidi rerum populamus honorem . Aspice , ut exsuvias veterumque insignia nobis Aptemus . rerum accipimus nunc clara reperta , Nunc seriem , atque animum verborum , verba quoque ipsa ; Non pudet interdum alterius nos ore loquutos* . & paulo infra ; *Saepe palam quidam rapiunt , cupiuntque videri Omnibus intrepidi , & furto laetantur in ipso Deprensi* , & quae sequuntur . Ita Vir hic summus , & alter a Virgilio Poeta , praeceptum reliquit .

Explora ; & rerum naturam mente pererrans
Crebro agita ; tum signa diu multumque voluta ;
Quae se se tibi cunque dabunt ; sunt fallere nanque
Multa modis multis , & sueta innectere fraudem .

Refellitur sententia , quae causã aeri tribuit.

Ac primum , certam , quam nunc inquirere causam
Aggredimur , repetas mihi nolim ex äere ; multos
Impulit in fraudem signis fallacibus aër .
Nanque imprudentes , nec secum cuncta putantes ,
Quae rerum variare solent habitumque modumque ,
Quaeque haud conciliat ratio ; sed casus in unum
Commiscet persaepe ; incerta affingere iidem
Sunt minime veriti certis primordia rebus .

Erroris causae multiplices.

Ergo erumpentes vitro e volvente favillas
Mirati , & subitos flammis resonantibus ignes
Ardere , & commixta igni , succensaque late
Spargere diffusum graveolentia sulphura odorem ,
Atque alia ejusdem generis , quae plurima se se
Tentanti objiciunt , quaesitas aëre in ipso
Abdi crediderunt causas , nam saepe videmus
Aethera per sudum , praesertim aestate serena ,
Aërios passim flammis ignescere tractus ;
Et densas noctis lumen jactare per umbras .
Saepe etiam audimus sonitus , & murmura caelo
Crebra volutari ; tum sidera lapsa coruscas
A tergo flammas , crinemque comantia ducunt ;
Et loca sulphureo late incenduntur odore ,

Haec

Haec porro, & quae multa solent contingere caelo,
Abrepti studio dum consectantur inani,
Certa deflexere via, & malefida sequuti
Argumenta, dolos non evasere latentes.

Praeterea ad fraudem resoni quoque flamina venti, *Aliae erroris caussae enumerantur.*
Plerunque excitas vitro comitantia flammas,
Contulerunt multum. medio nanque aethere venti
Evigilant; & nunquam non comitantur amicas,
Inter se veluti conjuncto foedere, flammas.
His aliud demum, quo non fallacius ullum
Indicium accessit, quod vel male provida solum
Pectora, & incautos potuit pervertere sensus.
Nanque fere melius se tentamenta dedere,
Cum Boreas claro victor dominatus olympo
In Libycas Austrum, nimbosque exegerat oras;
Quam cum iterum caelo pluvias nimbosque reducens,
Exacto Borea, se turbidus intulit Auster.
His signis isti, & mendacibus argumentis
Pellecti in fraudem, sunt multa indagine veras
Scrutati incassum caeli per inania causas.

Has porro tu sperne notas, & respue signa; *Enumerata indicia rejicienda.*
Atque his indiciis ne decipiare caveto.
Explora, quae certa fides praebenda quibusque;
Quidve, ferant; falsine, an sint tibi nuncia veri.
Et certe falsi deprendes nuncia, mecum
Si nunc intenta haud renuas perpendere cura,

Provenìant quo quaeque modo, quove ordine fiant.

Ratio affertur. Nam quaſdam extemplo leges, & foedera certa
Natura impoſuit, tentantum & cura notavit,
Tempore, quo primum vitri volventis ab orbe
Diſcluſa in ſuperas virtus ſe protulit auras.

Aeris ſubſidio experimenta õnia explicari non poſſunt. Nonne vides, eadem cum plenis excita rivis
Exundat, temere ut non omnia corpora fluctus
Imbuat inſinuans; nonnulla ut largius idem
Irroret; contra quaedam averſetur; & ultro
Detorquens alio curſum, rivoſque ſequaces
Reſpuat? haec porro eveniunt quo denique cunque
Affectus pacto tibi ſit variabilis aër.
Aſpice, cum trepido motu in diverſa trahuntur
Atque repelluntur ſalientia corpora; ut ipſa,
Ceſſante extemplo motu, compoſta quieſcant;
Et, ſubita veluti torpedine capta, rotante
Haudquaquam objecto moveantur inertia vitro.
Hos autem ad certos certo diſcrimine motus,
Atque adeo oppoſitos, improviſamque quietem,
Non ſane videas quid nam auxiliarius aër
Conferat, aſſiduis quanvis aſſultibus inſtet.
Inconſtans etenim naturâ, & mobilis ipſe
Non ſervare modum; nec certa lege quietis
Alternare vices poterit, nec tempora motus.

Aliae rationes afferũtur. Nam quid praeterea memorem, cum lucidus ignis
Extrema tenſae rumpens de parte catenae

Side-

Sideris aut coni formam exhibet ; anne putandum ,
Persistente habitu caeli constantis eodem ,
Seu gelido Borea , tepidove agitetur ab Austro ,
Aëra tam varias flammis appingere formas
Posse ; erumpentes ut plurimus ambiat ignes ,
Creber & excita resides everberet aura ?
Quid ? quod succensus caelo quanquam ardeat aër ,
Et tibi sulphureos late diffundat odores ,
Ne flammas excire quidem , subitasque favillas
Corporibus poteris vulgo omnibus ; omnia certa
Ni vigil addiscas prius internoscere cura ;
Perspectumque habeas genus , & multo ante notatum .
Hoc nisi praecaveas , captabis idonea frustra
Tempora ; nequidquam explorans, quid cogitet Auster ,
Num pluvias nimbosque paret ; Boreamque morantem
Saepius increpitans , studio exspectabis inani ,
Serus hyperborea tibi dum descendat ab arcto
Rhipheas linquens arces , Rhodopenque nivalem .

Quae porro si rite fidem explorata merentur , *Conclusio.*
Non est cur anceps dubiam sententia mentem
Angat ; janque licet , ratio quod praecipit , illud ,
Constituas , unum minime res aëra posse
Edere tam varias ; ac proinde latentia rerum
Esse harum quaerenda alio primordia , tantis
Quo demum verax eventis constet origo .
Ergo supervacuam noli hic impendere curam

Stultus, & incaſſum ſuſcepto parce labori.
Quin ſinito, vinclis quando non ſtringitur ullis,
Qua lubet, immenſo ſe ſe aër jactet olympo,
Et vagus aethereos percurrat turbine tractus.
Igneſcat licet, & ſuccenſus fulguret igni,
Et late horrifico quatiat caelum omne tumultu;
Siquando iratus ſummo tonat altus ab axe
Jupiter, & caeca nimborum in nocte coruſcas
Molitur ſlammas; quacunque ab origine tandem
Sint haec arceſſenda tibi; & quae cognita vulgo
Aëris in vaſtis gignuntur plurima campis.

Affertur alia ratio petita a machina Boiliana.

Sed non ulla magis ratio convincere te vel
Invitum poterit, vel confirmare labantem,
Aëra non poſſe eventus producere tantos,
Quam, procul amoto ſi hos ipſos aëre mecum
Eventus ſpectes; ars eſt nova quando reperta;
Qua ſimul infuſus, ſimul & circumfluus aër
Una exhauriri queat, exhauſtuſque repelli,
Ne ſe ſe injuſſus furtivo immiſceat aſtu.

Deſcriptio machinae Boilianae.

Lucenti ex vitro, (*a*) vel perſpicua cryſtallo
Eligitur lato vas ore, & fornice curvo.
Nec tu materiem, nec formam neglige; utranque
Non nequidquam hominis, mira qui protulit arte

Inven-

(*a*) In hac deſcriptione machinae Boillianae poeta propoſitam illam habuit, quae in Muſeo Kirkeriano aſſervatur. hoc ideo adnotandum duxi, quia aliis alias fortaſſe machicas videre contigerit, quae, etſi Boillianae, non ſingulis fortaſſe partibus cum hac noſtra congruant.

Inventum memorandum orbi, magnoque futurum
Subſidio, reliquis prudens ſollertia certo
Judicio antetulit, taleſque optavit ad uſus
Forma facit, ne vas ſuper incumbente fatiſcat *Singulae partes enumerantur.*
Aëre; materies, ut ſit via pervia luci,
Nec non & pateat proſpectus in intima liber.
Iſto delectu quaeſitum ex omnibus, ore *Vas vitreum,*
Inverſo deorſum ſtatues, ut concava ſurſum
Teſtudo emineat depreſſis ardua labris.
Tum corio e molli ſubſternitur area. mollis
Hic quoque non corii ſpernenda eſt gratia; nanque
Hac fit, ut aërea compreſſum urgente columna,
Firmius & plano vas haereat, auraque ſenſim
Caeca per extremas nequeat ſublabier oras.
Aeneus in medio ſurgit tubus, aenea ſubter *Tubus aeneus,*
Excipit hunc, arcteque amplexum fiſtula ſecum
Illigat; argivo ſyringem nomine dicunt.
Syringi inſeritur qui congruat *embolus*, (a) & qui *Embolus,*
Tra-

(a) Hanc vocem diverſa typorum forma idcirco imprimendam curavimus, quia minime latina a nonnullis, hoc in genere delicatioribus, judicari fortaſſe poterit. Caeterum *emboli maſculi* mentionem facit Vitruvius, quod quid ſimile cum noſtro embolo eſſe conjicio. Maſculinum quoque vocis ejuſdem genus graeca ſatis tuetur auctoritas. Quod vero ab hac voce uſurpanda ſibi abſtinendum eſſe auctor minime exiſtimarit, id gravi ratione ductus fecit; quippe qui diceret proprium hoc, hujus artefacti, quod deſcribitur, eſſe vocabulum; & ineptire illum, qui circumloquutione utatur, cum vox ſuppetat, & origine graeca, & latinis ſcriptoribus non omnino incognita, & ad rem, qua de agitur, declarandam accommodata.

Tractanti dextrae ; atque illum in diversa trahenti
Non se difficilem praestet ; durusque resistat .
Clavet. Praeterea geminae non uno munere claves
Adduntur . vitrei custodia credita claustri
Obtigit his ; servantque aditus . harum altera nempe
Excipit eductum , foribusque emittit apertis
Aëra ; ne semel emissus succedere rursus ,
Vel novus adveniens intro subrepere furtim
Tentet , sollicita vigil excubat altera cura .
His ita constructis , perfectisque ordine rebus ,
Adnixi validis teretem exercere lacertis
Syringa incipiunt , luctantemque aëra frustra
Vi multa superant : syringi insertus eandem
Ire redire viam non desinit *embolus* ; usque
Rarior inclusus dum sensim evadat , & omnis
Cesserit exemptus repetitis haustibus aër .
Hoc pacto miros constructa est machina in usus ,
Qua non fortassis felicius ulla reperta ;
Ingeniis hominum nil non tentantibus , & nil
Sollerti demum non perficientibus arte .
Praecipua experimenta capta in machina Boiliana recensentur. Hujus ope haud facile est dictu , quam multa latentis
Non modo naturae detecta arcana , sed ipsis
Sint oculis subjecta fidelibus . Hic tibi fumus ,
Ingenita quondam ferri levitate sub auras
Fumus stagnat. Creditus aethereus , fundo subsidit in imo ;
Desidis in morem , lympha stagnante , paludis .

Hic

Hic blandae volucres, & picti terga lacerti, *Aviculae expirant.*
Et quaecunque cavis conclusa animantia septis,
Pro vitri delecta modo, non tempore longo
Exhalant dulces animas, exstinctaque sensim
Deficiunt ipsis cum dificientibus auris.
Hic subito videas tumidas effervere crebris
Non aliter lymphas bullis, undantis aheni
Plurima quam costis cum subdita flamma quietos
Sollicitat latices, violento & concitat aestu.
Altius exsultat spumis superantibus humor.

Quid dicam, ut vitreis clausi in penetralibus utres *Vesciea rumpuntur.*
Rugosam intendant pellem? quid, saepe tumentes
Ut disrumpantur, cum se vehementius aequo
Inclusus corio rarescens explicat aër?
Ne multa; hic gravitas deprensa est aëris, ignis *Gravitas aeris & ignis deprehensa.*
Ipsius hic gravitas comperta; hic excita tetrum
Natura horrorem, quo foede oppressa jacebat,
Excussit vacui, (a) curamque absterfit acerbam. *Horror vacui depulsus.*
Tempore quin etiam ex illo, quo venit in usus
Coeptaque vulgari est tanta experientia, moestam
Explicuisse ferunt tum primum denique frontem.
Et vero, ingenium paullo emollita severum,
Non ita secretos quaerit, velut ante, recessus,

Diffi-

(a) Nota est veterum Philosophorum opinio de horrore vacui, quem naturae perperam tribuerunt. Capta occasione festivius jocatur poeta, & poetice atque ingeniose hujusmodi opinionem carpit.

Difficilemque adeo vulgo ſe praebet ; at ipſa ,
Si minus illuſtri nunc totam in lumine , ſaltem
Offert ſe ſe aliqua nobis ex parte videndam ;
Olim quod priſcis aegra indignanſque negarat .

Experimēta electricā captata in machina , ſecluſo aere.

Jamque age luminibus cupidis cryſtallina ſepta
Tute ſubi , veſtiga oculis , & cuncta tuendo
Callidus explora . Viden , ut , ſi plurima virgam
Incluſam imbuerit virtus , & tenvia fundum
Corpora conſternant , virgae correpta , remoto
Aëre , ſuccedant , nec non abducta recedant ?
Ac neque non oculos ſubito fulgore coruſcae
Percellunt flammae , vacuum per inane micantes .
Adde quod & vitreis propius ſi machina clauſtris
Conſtiterit , noriſque modum , ſpatia omnia luce
Exhauſti poteris vitri perfundere ; demum
Suſpicere hic dabitur , ne te morer , omnia ferme ,
Quae caelo admirans ſpectabas nuper aperto .

Iterum cōficitur, aerem cauſā eſſe non poſſe.

Haec adeo cum ſint ; non eſt cur amplius , ultra
Veſtigans , liquido ſcruteris in aëre cauſam .
Te converte alio ; nec ſegnis parce labori ;
Certior in denſis dum ſpes affulgeat umbris ;
Conatuſque tuos melior fortuna ſecundet .

Non obſtat quod felicius aere ſereno capiātur experimenta.

Nec te nunc illud moveat , quod & axe ſereno ,
Et puro late Borea dominante , videri
Vis mira intendi poſſit ; contraque remitti
Caelo eadem pluvio , & madidis ſpirantibus Auſtris .

Haec ,

Haec, & quae dubiam tibi cunque facessere curam
Possent, discuties demum, cum vera patebit
Causa, atque arcanae emerget virtutis origo.
Interea non abnuerim, quin aëre ab ipso
Jam nunc subsidium tibi promptum arcessere cures. *Aer non nihil confert, sed causa non est.*
Nanque aër, qui semper adest, ad munera tanta
Non renuit socias persaepe adjungere vires.
Ne tamen hic, iterum moneo, ne quaerere tende
Secretas longe causas, penitusque repostas.

Nec minus incassum vana lassabere cura, *Expenditur secunda sententia affluxus & effluxus.*
Corporibus causam si perscrutatus in ipsis,
Inde putes illam te posse arcessere, manat
Unde vitri attrito jugis de corpore fluctus,
Et vena nunquam sibi deficiente redundat.
Nempe fuit, (a) nova inexhausti qui semina vitri
Miratus secum jugi manantia fluxu,
Credidit eductam rursus succedere eodem
Materiem; unde prius superas processit in oras;
Sic, ut perpetuo effluxu, affluxuque perenni,
Usque eadem, in semet rediens velut acta per orbem,
Effluat, & nunquam non instaurata recurset.

Haud aliter quam, cum penuria adegit aquarum, *Comparatio petita a fonte perpetuo.*
Fontibus inventum est lymphas mira arte perennes
Suf

(a) Sententia haec est Noletii Galli, qui eam pluribus explicavit in libro hac de re edito primum in Gallia, tum Venetiis impresso an. 1747.

Sufficere, & (*a*) lautis rarum decus addere villis.

Descriptio fontis perpetui.

Nanque ut missa tubo, conchaque excepta capaci
Marmorei summas aequavit marginis oras,
Acta per occultum dimittitur unda foramen.
Dum cadit in praeceps, subjectam turbine magno
Versat agitque rotam; citus una volvitur axis;
Volvitur, & geminos motu siphonas eodem
Occluditque aperitque; at deflua lympha profundo
Erigitur collecta lacu, siphonis anheli
Alternante vice; & superas educta sub auras
Se se iterum caelo rediviva ostentat aperto.

Excursus de laudibus Villae Cardinalis Albani.

Talis marmoreo (*b*) fluit unda argentea labro,

Atque

(*a*) Hoc est magnificis, & sumptuosis, quales praesertim Romae admiramur, quae laxitate ambitus, aedium splendore, viridariorum amoenitate, varietate scenarum ac nemorum, directa ambulationium longitudine, ac praecipue veterum excellentium statuarum incredibili copia privatum videntur censum excedere. Porro villae nomine domus ipsa, quam dominus incolit, a latinis antiquis Scriptoribus intelligitur. Nunc vero usus invaluit, ut villae nomen non pro domo tantum, sed etiam pro adjacentibus praediis, sive viridariis usurpetur.

(*b*) Qualis hic describitur a poeta fons, quem *perpetuum* vocant, talis conspicitur in Villa, quam Cardinalis Alexander Albanus extra portam Salariam, regio vere sumptu, exstruendam curavit. referta est enim rarissimis antiquitatis monumentis, signis, columnis, urnis, inscriptionibus, quae undique a Cardinali harum rerum scientissimo, diligentissime conquisita, & ad ornatum Villae translata sunt. Structura vero ipsius Villae ad veterum normam atque aedificandi rationem omnino exacta est; nihil in ea non antiquum, nihil non veterum Romanorum magnificentia plane dignum occurrit, ut merito inter praecipua Urbis omnium pulcherrimae & nobilissimae ornamenta numeretur. In hac vero accuratiore Albaniae Villae descriptione Parthenium nostrum genio opinor indulsisse

suo,

Atque eadem refluit, qua Villa Albana nitenti
Structa solo; & curvi in formam sinuata theatri,
Antiqui luxus, majestatisque latinae
Desuetum revocat tanto post tempore morem.
Regis opus. tam multa sinu capit una superbo,
Quae vetus intulerat septenis arcibus olim
Roma triumphato spoliis opulentior orbe,
Centum illic caesae Numidarum e rupe columnae, *Vetera monumēta in ea spectanda.*
Urnae-

suo; capitur enim mirum in modum cum omni genere antiquitatis praesertim sacrae; tum Picturae, Sculturae, Architecturae operibus maxime delectatur, quae ad veterem absolutissimam sive graecam sive latinam formam affabre elaborata conspiciat. Et sane, cum a Veteribus & graecis & latinis omnium optimarum rerum exempla peti unice possint, & vero debeant; nihil egregiis artibus exitiale pertimescendum est magis, quam, si Artifices contempta imitatione, quae plurimum semper valuit, commentationem ipsi suam tanquam ducem ac magistram unice sequi consuescant; aut si imitationem minime negligendam duxerint, non optimos quosque in unaquaque arte duces ac magistros eligant, ad quorum similitudinem ipsi se fingant atque conforment. Hac de re legenda omnino est epistola Natalis Lastesii de Museo Philippi Farsetii P. V. ad Clarissimam Cortonensem Academiam perscripta, & Venetiis an. 1764. impressa. Atque haec quidam epistola, praeter quam quod doctissimi Scriptoris acre subactumque judicium de veterum Sculptorum, Pictorumque operibus aperte demonstrat; tanta latini sermonis praestantia atque excellentia, quantam in paucis suspicimus, perscripta est, ut, quod clarissimus Auctor in fingendis artefactis sequendum praecipit, stylo ipse in scribendo suo plane assequutus dici debeat. Quare jure optimo Farsetio gratulandum existimo, qui Museo ad publicum commodum ac bonarum artium incrementum, non privata sed regia magnificentia, domi suae constituto, Scriptorem tanto Museo describendo idoneum non ille quidem nactus sit; sed, ut ego sentio, ab se certo judicio electum multis praetulerit; quo quidem in delectu quanta sit ipsius nobilissimi eruditissimique Viri, in hoc quoque eleganter scribendi genere, ingenii elegantia, satis declaratur.

Urnaeque, Sphingesque, & barbariei crateres,
Scenica marmoribus nec non horrenda cavatis
Ora, & priscorum spirantia signa Sophorum
Ordine porticibus longo digesta superbis.
Frustra multa dies, atque insidiosa Vetustas
Tot veterum decora alta patrum depressa sub alta
Abdiderat terra, & caecis damnaverat umbris.
Umbrae discussae; penetratum in viscera terrae
Intima; & ex altis in apricum educta ruinis.
Quid tot, quae dederat male pessum injuria, foedum
In morem populata inhonesto vulnere signa;
Trunca pedes, & curta manus, capitisque minora,
Nomine quae nullo passim, & sine honore jacebant
Per fora, perque vias abjecta? jacentia vulgo
Presserat informis situs, & corruperat imber.
His quoque collectis subventum est arte; revulsas
Daedala restituit partes manus; additus ori,
Atque instauratis decor additus artubus; & nunc
Deterso penitusque situ, in meliusque refecta,
Atria celsa tenent, augusta in sede locata;
Et priscam referunt vera sub imagine formam.

Nequidquam torvosque oculos, falcemque retorquens
Tempus edax, avido sibi tantam e gutture praedam
Extortam dolet. at doleat licet, & fremat ore,
Laus Card. Alexandri Albani. Ferreosque exacuat dentes. Tu gloria, Princeps
Optime, & Ausonii decus immortale Senatus,

Egre-

Egregias tutare artes. Tibi maxima Roma
Illa vetus, rerumque potens, illa inclyta Roma
E ſeptemgeminis aſſurgens collibus effert
Attonitum caput; & late omnia circumſpectans,
Inſuetum mirata decus, mirata ſuperbum,
Quo reliquas ſupra quondam ſe ſe extulit urbes,
Cultum; priſca ſibi per te nunc denique gaudet
Reſtitui decora, & veteres gratatur honores (a),

G Jam

(a) Totam hanc hujus Villae deſcriptionem, collegae ſuo gratificandi cauſa e latina lingua in italicam, atque adeo in elegantiſſimum etruſcum carmen Antonius Ambrogius convertit. quod carmen ne intereat, uti certe eveniret, niſi locum aliquem hoc ipſo in opere haberet, illud idcirco hic ſubjicimus, & iis, in quorum manus hi libri venient, exibemus. Atque Ambrogius, qui quidem edito hoc tam elegantis verſionis ſpecimine, lectores opinor ſuavitate carminis illectos in eam ſpem adducet, fore, ut pari elegantia ac ſuavitate carminis totum poema in etruſcum ſermonem convertat. Hoc ſane optandum eſſet; nec fortaſſe deſperandum eſt, ſi egregio Scriptori tempus & otium ſuppeditabunt.

Nè con vana fatica inutilmente
Meno ti ſtancherai, di queſto effetto
Entro i corpi medeſmi la cagione
Se rintracciando, penſerai poterla
Trarre forſe di là, d'onde con vena
Mai non mancante ſgorga dell' attrito
Vetro dal corpo, e con perpetuo ſiuſſo
L'elettrica materia ſi diffonde.
Cioè vi fù, dell' infauſto vetro
Chi provenire con perpetuo fluſſo
Novelli ſemi ognor ſeco ammirando,
Entrar di nuovo là credè l' eſtratta
Elettrica materia, alle ſuperne

Aure

Refellitur dicta sententia.

Jam vero attrito quanvis de corpore fluctus
Manet inexhaustum, atque idem succedat eodem,
Unde

Aure del Ciel d' onde fuor venne in prima;
Sicchè scorrendo la medesma sempre
Con un perpetuo efflusso, e la medesma,
Quasi in giro volubile ravvolta,
Con afflusso continuo rivenendo
A sgorgare ripigli, e quella istessa
Giammai non rinnuovata a noi ritorni.
Non altrimenti che, quando dell' acque
La scarsezza ne stringa, alle fontane
Trovato fu con ammirabil arte
Come supplir non interrotto il corso,
E aggiunger pregio nuovo all' ampie Ville.
Poichè, quando dal tubo all' aura fuori
Sorge l' acqua spillando, e nel capace
Incavato cratere ricadendo
A uguagliar giunse la marmorea sponda,
Fuor non trabocca, e per canal non visto
Torna a scender quell' acqua. Or mentre cade
Precipitosa, gravitando spinge
In se medesma la sopposta ruota
Velocissima a volgersi, ed insieme
Si ravvolge ancor l' asse, e due sifoni
Apre, e richiude quella forza istessa.
Nel cavo inferior ma l' acqua accolta
Dall' alterno anelar dello spirante
Doppio sifone è a risalir costretta,
E nuovamente risospinta all' alto,
L' aperto Cielo a riveder ritorna.
Tal da marmorea conca in alto sale
Argenteo fonte, e la stess' acqua è sempre,
Là dove sorge sull' aderno suolo
L' Albana Villa, e ripiegando in giro
Di teatro a sembianza, altrui richiama

Alla

Unde prius vena nunquam non divite fluxit;
Non tamen idcirco credas te poſſe latentem

Alla memoria il da sì lunga etade
Più non uſato onor degli ornamenti
Vetuſti, e della maeſtà latina.
Opra regal; poichè dentro 'l ſuperbo
Ampio recinto ſuo ſola racchiude
Tanto di quelle rarità, che, fatta
Dalle ſpoglie del mondo ognor più ricca
L'antica Roma a' ſette Colli aggiunſe.
Ivi dalle numidiche montagne
Cento ſvelte colonne, ed urne, e Sfingi,
E barbariche tazze, ed in ſcavata
Pietra maſchere orrende, e vivi volti
De' Filoſophi priſchi in ordinanza
L'auguſte logge ad abbellir diſpoſti.
L'etade ineſorabile, ed il lungo
Corſo degli anni inutilmente avea
Sotterra meſſi, e condannati all'ombra
Di foſco orrore di que' vecchi Padri
Tanti rari ornamenti. Entro 'l più cupo
Sen della terra penetroſſi, e l'ombre
Furon cacciate; e tutto trar ſi vide
Dall'oſcura maceria a' rai del giorno.
Che dir dovrà de' ſconciamente guaſti
Simolacri e sformati, e con ingiuria
Tronchi i piedi e le mani, e con crudele
Ferita ſenz'onor del capo ſcemi,
Che per le vie giaceanſi, e per le piazze,
Senz' alcun nome abbandonati, e ſparſi.
Informe loto in queſta parte e in quella
Gittati gli copria, per le cadenti
Frequenti piogge intartariti e guaſti.
Fur eſſi ancor raccolti, e le troncate
Membra lor riformò Dedala mano

Hic, ut vestiges multum, deprendere causam.
Non sum animi dubius, cum jugi exercita fluxu
Luctetur secum assiduis incursibus ipsa,
Dum fluit, & refluo relegit vestigia cursu,
Materies, hoc pacto extundi, utcunque, sonantes
Quin flammae possint, & murmura rauca cieri.
Nanque ex conflictu fit saepe ut flamma repente
Exstet,

Nonnulla explicari possunt in hac sententia;

Ritornandoli interi; anzi in più vaga
Foggia abbelliti, e, lo squallor deposto,
In tutto il pregio suo fan di se stessi
Signorile comparsa, e collocati
Nella sede regale ornan d'intorno
Di quell'atrio le nicchie, e vi si scorge
Nel vero aspetto lor l'antica forma.
In van la falce curva, e bieco il guardo
Volge l'edace tempo, e in van si duole,
Che dalle fauci ingorde a lui sia tolta
Preda sì grande. Ma si dolga e frema
Quant' a lui piace, e 'l ferreo dente arruoti.
Del purpureo Senato o Tu verace
Ornamento e decoro, ottimo Prence,
L'arti belle proteggi. A Te la tua
Massima Roma, quell'antica e grande
In ricchezze, e in valore inclita Roma
Erge da' sette Colli stupefatta
La fronte coronata, e ravvolgendo
D'ogni intorno lo sguardo, e il non usato
Gusto d'ornar seco ammirando, e 'l ricco
Fabbricare superbo, onde fastosa
Sovra l'altre Cittadi alzossi un giorno,
Gode che in fine a lei renduta or sia
La sua prisca grandezza, e si consola
Di racquistar per te l'onore antico.

Exſtet, & igniculi, ſubito turbante tumultu,
Expliciti erumpant, ſiqui latuere retruſi
Corporibus, nexuſque arctos & vincula ſolvant.
Sic nempe elicimus repetitis ictibus ignem
Abſtruſum in venis ſilicum; ſic ſtrata viarum,
Praeceps immiſſis ſonipes cum fertur habenis,
Igneſcunt, crebraſque vibrant percuſſa favillas;
Ille volat; ferrata cito ſonat ungula cornu.
At tu nequidquam hic flammas, crepituſque ſonantes *Sed non omnia;*
Certa velut cauſae ſectabere ſigna latentis
Diſcreta a reliquis; etenim nec ſola, neque acri
Judicio tantum ſunt expendenda; ſed ante
Quam certi quidquam ſtatuas, ſimul omnia, ſaltem
Praecipua, ſtudio tibi ſunt penſanda ſagaci.
Nec vero, numero in tanto, ſi aut unius, aut ſi *Multo minus praecipua.*
Alterius certam meditando extundere cauſam
Eventus dabitur; te deprendiſſe putato
Continuo talem, qualem nunc poſtulat uſus;
Quae res tam varias nimirum ſubdita gignat,
Atque ſit eventis par omnibus una ferendis.
Nec magis appulſus tantum, aut ſervare repulſus
Proderit, alterno cum tenvia corpora motu
Adducta accedunt, nec non abducta recedunt.
Quanquam hoc materiae a fluxu non diſcrepet, ut, quae
Procurrens repulit, revehat ſecum ipſa recurrens;
Non tamen inde putes reliquis primordia poſſe

Eventis duci, nostram quae plurima curam
Ipsa etiam exquirunt; nec se patiuntur omitti.
Quod rigui demum fluctus sit vena perennis
Inventa, est sane hoc aliquid; verumtamen haud est
Cur ideo exsultans animis tibi plaudere pergas,
Et quasi de causa tecum gratere reperta.

Quaedam praesertim observanda.

Ergo non flammas solum crepitusque sonantes,
Appulsusque repulsusque observabis, & illos
Alternos reditus & itus remeantis eodem
Materiae; sed praesertim nunc lucis & ignis
Mirandis visenda modis discrimina, nec non
Et fluctus momenta, & tempora certa sonorum
Sedulus attenta mihi contemplabere cura.
Hinc alia atque alia, eventus quae plurima nostros
Non raro immutant, cura haud leviore notabis.

Causa universalis cõstituenda.

Omnibus his ita perpensis, acrique subactis
Judicio tecum, verax tum denique causa
Constitui poterit, quae tot discrimina, totque
Una vices regat, & certa ratione gubernet.
Haec nisi praecaveas, nil tot conatibus actum,
Et frustra impensae tanto in molimine curae.

Eventa multũ variant.

Aspicis, ut, certam cum flamma educta per artem
Prodit, & insolito manifesta in lumine fulget,
Non unam exhibeat varia sub imagine formam?
Ista quidem casus non invehit; atque profecto
Expressis adeo vario discrimine flammis

Causa

Causa subest, & certa subest; pariter neque rauci
Dissultant temere crepitus, patulas neque semper
Percellunt aures; sed & ipsi tempore certo
Proveniunt; aliquando silent, frustraque cientur.
Adde huc appulsus, alternantesque repulsus,
Quam numero incertos, tam certa a lege petendos.

Horũ causa effluxus & affluxus materiae esse, non potest.

Jam, si perpetuo a fluxu, jugique refluxu
Haec tanquam a propria deducere origine pergas;
Tum vero exsiliens nunquam non flamma biformis
Dissimili splendore oculos percelleret; aures
Nunquam non resono crepitus stridore ferirent;
Quandoquidem reflui nova vis & copia fluctus
Non defecturo jugis de fonte petita
Nunquam non auras, nunquam non elicit ignes.
Corporibus vero nullus modus usque trahentis
Atque repellendis esset, modus usque fluendi
Materiae nullus cum sit; quando ipsa recursat
Perpetuo, atque suum revoluta redintergat orbem.
Quae cum aliter multo, ut nos experientia certa
Edocet, eveniant; causa est aliunde petenda;
Quae se celat adhuc, refugitque obscura videri.

Observandus stabilis tenor in effectibus.

Rebus in his autem multo accuratius illud
Est observandum; quod, quanvis plurima se se
Objiciant variis spectanda eventibus, & tam
Diversae rerum species defixa tuentum
Nunc hac nunc illa percellant lumina forma,

Res tamen haud variant adeo, ut discrimine in ipso
Quendam non possis stabilem observare tenorem.

Et certa quaedā ratio.

Et vero his, certa quae temperet omnia lege,
Rebus inest ratio, non mentis scilicet illa,
Non & consilii; sed quam Deus addidit ipse
Corporibus, sensu quanvis expertibus, ut se,
Et quae cuique tributa forent rata jura tueri
Possent; ne vulgo incerta, atque abrepta ferantur
Unius arbitrio, caecique libidine casus.

Hac conciliari non possunt cū effluxu, & affluxu.

Hanc porro tanto fluctus labentis in aestu
Atque relabentis, certam, quae cuncta gubernet
Contendes frustra rationem exquirere; & inde,
Nunquam intermittens cum tempore fluctus eodem,
Una eademque via, qua fluxit, & influat; idemque
Adversus sibimet nisu obluctetur iniquo;
Atque adeo crebris offensibus haesitet; ullus
Nec stabilis poterit rebus tenor esse, nec ulla
Certa sibi in tanto ratio constare tumultu.
Non secus; atque sonum fundit cum tibia dulcem,
Lenis & immissus per summa foramina se se
Spiritus insinuat, digitisque micantibus exit,
Qua tenues infra levis dat buxus hiatus;
Si vix erupit numerorum lege coactus,
Se se iterum patulis inferre meatibus aër
Tenderet, obnitens contra; tum protinus omnis
Concentus, numero prorsus cessante, periret.

Ne-

Nequidquam articulis ora alternantibus auras
Excirent resonas; nullo quippe ordine, & exlex
Spiritus erumpens ingratum strideret; ut cum
Disperdit miserum sylvis mala fistula carmen.
His animadversis, citius maria alta tenore *Conclusio.*
Fervere constanti credas, cum turbidus Auster
Incubuit pelago, totumque a sedibus imis
Commovet, & nigras alte subvectat arenas.
Tertia consequitur nunc expendenda sagaci *Tertia sententia proponitur.*
Ante alias cura, tibi quae sententia causam
Vorticibus tribuit vastum per inane rotatis.
Hic autem nobis vix extricabilis error,
Et rerum objicitur series longissima, ducta
Inde usque a prima nascentis origine mundi.
Sed nos contenti paucis, potiora legemus.
Principio, immensi qua pertinet ambitus orbis, *Systema Carthesianum exponitur.*
Quae tu cunque vides, terras, mare, sidera, caelum,
E tribus extiterunt elementis; ipsaque porro
Edita turbinibus fuerunt elementa citatis.
Materies etenim violento concita motu
Dum rotat in gyrum se se, detrita rotando
Scobs peperit primum; levatis inde secundum
Emersit globulis; postremum abnormia quaeque
Ramenta, & variis tulerunt praesegmina formis.
Haec sunt principia, & cunctis fata semina rebus. *Omnia corporũ principia.*
Hinc porro tanquam e communi corpora acervo

Cura-

Curarunt propriam ſibi quaeque arceſſere partem.
Lucidus e tenui ſcobe ſol concrevit, & aſtra
Alto fixa polo; globuli levore rotundi
Aëris in tractus, caelique abiere liquentis;
Aſpera tellurem ediderunt ramenta, vagoſque
Et paſſim toto palantes axe planetas.
Vortices Carteſiani. Ut binae motus ſpecies, quo concita circum
Ipſa ſuum revoluta axem, & quo ſe acta ferebat
Materies circa punctum commune; ita cunctis
Ortum prima dedit, certam dedit altera ſedem
Corporibus, propria qua ſe ſtatione tenerent.
Continuo *centrum* (*a*) petiit ſcobs; moxque rotundi
Succeſſere globi; inde globos ſepſere rotundos
Ramenta, & clauſos gyro interiore locarunt.
Comparatio. Exactae veluti meſſis poſt tempora, tunſis
Cura venit cum frugibus ultima, cunque rotato
Purgantur cribro frumenta, leviſſima quaeque,
Et paleae arentes, & pondere ſemina nullo
Collecta in medium coëunt; at grandia farra
Extremas cribri fugiunt volventis ad oras.

Haud

(*a*) Hac voce utitur Plinius argentae aetatis Auctor; abſtinet Cicero, qui quidem eam non latinis clementis, ſed graecis deſignavit, 1. Tuſc. cap. 17. *Terram in medio mundo ſitam ad univerſi caeli complexum, quaſi puncti inſtar obtinere, quod κέντρον illi vocant*. Et Poeta quidem ſupra multo rectius centrum *punctum commune* appellavit. Sed cum vocabulorum varietati ſervire deberet, neceſſario ea etiam voce utendum ſibi eſſe duxit.

Haud aliter constans minima scobe Phoebus, & astra
Restiterunt *centri* in medio; his protenta vaporum,
Aëris & regio est; tellus extrema recessit.
Sed quid ego hic autem tibi singula persequar, omnemq.
Expediam rerum seriem, ambagesque revolvam?
Quid dicam, ut subitae crevere in vortice crustae? *Crustae enatae in vorticibus.*
His superinductis ut vortex constitit; ut se
Particulae solidam in massam vertere rotantes?
Unde vagae solidus lunae globus exstitit; unde
Et stellae errantes, & opaco corpore tellus.
An memorem, vortex cum torqueretur in orbem *Vortices absorpti.*
Plurimus, atque sua contentus sede propinquo
Parceret; ut subito absorptus defecerit aestu
Vorticis alterius, qui se non impete tanto
Torquentem in gyrum, nec tanta mole ferentem
Perculit, & vasto correptum absumpsit hiatu?
Hoc pacto lunam tellus, reliquique planetae
Sorbuerunt famulas sibi stellas; fortior omnes
Corripuit Titan, avidoque exsorbuit haustu;
Quales turbinibus rapidis ubi concitus undas
Torsit in abruptum, medio vorat aequore gurges.
Sed ne progrediar, quam par est, longius, edi *Nihil non subsidio vorticum explicatur.*
Non alia eventus nostros ratione putabis;
Edita quam caelo fuerint vaga sidera, quam sol,
Quam lunae moles, quam terræ machina, totus
Denique quam rerum pulcherrimus editus ordo.

Quan-

Quandoquidem omniparens hic conficit omnia vortex.

Rejicitur haec sententia.

Non ullus tamen ista tibi persuadeat auctor,
Ingenii quanquam praesignis laude feratur,
Nominis & fama totum pervaserit orbem.
Quin potius mecum quantum haec sententia nutet
Principiis male fulta suis perpendito; longum
Unde nec evaluit consistere; jamque supremam
Sponte sua traxit pridem labefacta ruinam.

Principia systematis Cartesiani male labant.

In primis, verti quo cardine debuit omnis
Rerum summa, cito cur se se turbine versent
In gyrum minimae non ullo fine natantes
Particulae, incassum certam scitabere causam.
Nam quaesita diu, & longum exspectata fefellit
Optantum vota, & curas elusit inanes.
Vorticis haud melior se se jactantis in orbem
Conditio est; cujus pariter si nosse laboras
Perpetui motus causam rapidique rotatus,
Non minus incassum recidet labor; & tua rursus
Aeque hic eventu vota eludentur inani.

Machina mundi non posset consistere;

Quare totius coalescere machina mundi
Vel nunquam potuit, vel certe debuit omni
Quamprimum eliso sic obdormisere motu,
Ad varias ut inepta vices & inutilis altum
Sterteret, ignavo veluti sopita veterno.
Sed, vel concessa rapidi vertigine motus
Cessantis nunquam, hac ipsa in vertigine tanta,

Adde

Adde, recusandum quod non erit, impete vortex
Vicinum impingens quin fortior hauriat; & sic
Alter ab alterius solvatur turbine; donec
Cuncta suis emota locis, ruptaque fatiscant
Compage; ac demum rursus revoluta ferantur
In chaos antiquum; cum nullo semina nexu
Immenso fluerent spatio, & coëuntia nondum
Induerant certam, concreta mole, figuram.

Sed necessario interiret.

Nam cur adjiciam super haec, quae plurima contra
Afferri possent; & quae tibi suggeret ille (*a*)
Maximus interpres Naturae, idemque Poësis
Nobilis Antistes, qui vel condire Lucreti
Austerum potuit pimplaeo melle saporem.
Hunc adeas; si forte velis modo plura doceri,
Quae hic ego praetereo consulto; nam mihi tantum
Designasse Virum satis est, qui, fratre (*b*) sequestro,

Thomas Caeva Soc. Je. systematis Cartesiani oppugnator.

Non

(*a*) Thomas Ceva hic indicatur, & laudatur a poeta. De hoc autem Viro longe celeberrimo, nobilissimo Philosopho, Mathematico & Poeta, non est cur hic multa praedicem, propterea quia ejus opera, saepius typis recusa, vulgo cognita sunt; & Vir hic quanti faciendus sit, clarissimus Ludovicus Muratorius in suo opere, quod *de arte poetica* scripsit, satis declaravit. Rectissime autem, ad Cevae styli characterem, quem vocant, declarandum & apposite admodum ad veritatem dixisse mihi videtur poeta noster, cum ait; *qui vel condire Lucreti Austerum potuit pimplaeo melle saporem*. is enim, qualis uno versiculo & hemistichio describitur, est Cevae stylus in sua *Philosophia*, quam *novo-antiquam* inscripsit. Ex hac pleraque desumit poeta noster, quibus ad systema Cartesianum hoc loco oppugnandum tanquam machinis utitur.

(*b*) Joannes Maria, Parthenii nostri frater natu minor, & ipse e Societ.

Non dedignatus quondam mea carmina blande
Excipere, & nostrae laudans conamina musae
Prima, animo laudis primum inspiravit amorem.
Verum ut eo redeam, cernis sententia qualis
Ista sit; unde nihil cum certi exculpere possis,
Non est cur vano causam hic scrutere labore,
Et statuenda putes nostris exordia rebus.

Faenomena electrica in hac sententia explicari non possunt.

Quod magis ut liquida constet ratione, referto
Nostra haec ipsa animum mihi nunc paulisper ad orsa.
Mitto hic, quod rursus nobis ea cura recursat
Scitari incassum, sinuosi vorticis unde

Recursant allatae difficultates.

Exsistat motus; quod & hic collisio rursus
Est nobis metuenda, vitro si forte citato
Plurimus emergat violento turbine vortex.

Graviores subeunt.

His praetermissis, subeunt graviora; rotando
Cur rapidus quaedam tantummodo corpora vortex
Corripiat? cur non potius correpta ferantur
In gyrum; ut frondes, pluvia impendente, caducae,

Siquas

clet. Je. modo Novocomi commorans hic innuitur, cui Mediolani tunc degenti, cum Parthenius nescio quid, quod elegiaco carmine luserat, Roma ante triginta & eo amplius annos misisset, idque ab eo Cevae, tum viventi, ostensum esset, Vir ille doctissimus, qua erat singulari erga omnes humanitate, minime dedignatus est adolescentis rude carmen legere & collaudare; quo facto mirum in modum poeta noster, ut ipse de se fatetur, ad conandum aliquid, quod aliqua laude in re poetica dignum videri posset, exarsit. De fratre vero ejus, quandoquidem hic incidit sermo, nihil dicam, nisi Poetam & ipsum non inferiorem, & fortasse superiorem Parthenio evasurum fuisse, si per valetudinem, qua semper valde incommoda usus est, arti poeticae operam navare licuisset.

Siquas abripuit ſubitus medio aethere turbo ?
Cur volucri currente rota, vitroque rotante
Poſt aliquot reditus & itus objecta catenae
Amplius haudquaquam moveantur corpora? nam quis
Praeterea aërii defendet vorticis acres
Incurſus, quin ſe medium violentior aër
Inferat, inſano pervertens cuncta tumultu ?

Quod ſi praeterea reliquos expendere mecum
Eventus vacat, in primis phialamque batavam ;
Et vitream perpende quadram. num a vortice lymphae
Inductique auri, rapidus ſuccenditur ignis ;
Atque repentinae tanta eſt violentia flammae ?
Diſce etiam varios, quibus hos aptatur ad uſus
Machina, ſollerter poſitus perpendere, nec non
Pro varia effectus varios ſtatione notare ;
Nec te pervertet violento turbine vortex.

Praecipua experimenta explicari nequeüt.

Poſtremo illa mihi ne deſpice vincula Serum
Alto appenſa tholo, quorum vis cognita noſtris
In rebus tantum valet ; illis utere, quando hic
Non minor uſus erit ; quanvis & vitrea quadra,
Et phiala eliſos imitentur nubibus ignes.
His veluti adſtrictus laqueis, & compede multa
Scilicet haerebit vortex, & ſtare coactus
Contendet rapidos nequidquam urgere rotatus
Obnitens contra. quod ſi phrygium quoque gluten,
Tantopere hos ipſos quaeſitum gluten ad uſus,

Sub-

Subſidio accedat; multo retinebitur idem
Arctius, & lenta pice perlitus, inque plicatus
Haudquaquam expediet ſe ſe. ceu forte doloſis
Ales ubi inſedit virgis, quas ſepibus altis
Callidus infixit venator; corpore toto
Luctatur miſer, & trepidas exterritus alas
Concutit incaſſum; quin & contentius omnes
Quo ſe ſe in partes verſando jactat, eo ſe
Illaqueatque magis, viſcoque tenacius haeret.

Concluſio. Haec tibi proponens, rationum & pondera tecum
Expendens, non eſt cur longius inquirendo
Procedas, ſtudio nil profecturus inani.

Nihil ſuſcipiendum ſine certis indiciis. Novi ego perpetuis qui prata recentia rivis,
Jugibus & cuperent vernantes fontibus hortos;
Nequidquam ferro, crebriſque ligonibus omne
Sollicitaſſe ſolum; tenuiſſima quippe ſequuti
Indicia, atque mala decepti fraude locorum
Ante manum admorunt operi; quam certa latentum
Oſtentans ſe ſe ſpes affulgeret aquarum.
Interea rivis languebant prata negatis,
Arebant ſicci nimbis ceſſantibus horti.
Effuſi in ventos ſumptus; caſſoque labore
Pulverulenta ſiti verſabat jugera foſſor.

Indicia ſaepe fallacia ſunt. Signa etenim, ut monui, ancipites inducere vultus;
Et quam ſe cunque in partem dare callida, multos
Decepere, acris ni provida cura reſiſtat

Inge-

Ingenii, nexosque dolos, fraudesque resolvat.
  Felix, cui tanta arrisit clementia divum;
Qui causas potuit certa ratione latentes
Vestigare, & Dis sisti ducentibus ipsis
Ad caput, unde omnis causarum manat origo.
Sed Pater haud facilem vulgo, cunctisque patentem
Esse viam voluit. quin causas (a) lumine nostro
Submotas procul, & caligine sepsit opaca,
Et puteo penitus depressas condidit alto.
Funduntur circum tenebrae; nox accubat atra,
Atque aditus nigro Dea furva obnubit amictu.
  Scilicet ut turbam procul inde arceret inertem,
Degeneres animos verae nil laudis egentes;
Tum durus labor exacuens mortalia corda
Fingeret; inque dies per iniqua atque ardua nitens
Cresceret angustis major sollertia rebus.
Quare age praestanti temet durato labori;
Hic animum obfirma; totas hic exere vires;
Hinc decus, hinc famam tibi conciliato perennem.
  Atque ego non aliam ob causam, post saecula tanta;
Quam nova ut ingeniis calcaria subdita nostris
Acrius ad blandum stimularent laudis amorem;
Virtutem e tenebris miram emersisse putarim.

Causas certo investigare summae felicitatis est.

Difficultas in causarũ investigatione.

Ratio hujus difficultatis.

Quare virtus electrica nostra hac aetate in lucem prodierit.

H Et

(a) Cognitum est illud Democriti effatum; *veritatem in puteo latere*; quod non inepte causarum investigationi poeta accommodavit. causas enim rerum cum Physici investigant, unius veritatis inveniendae spe atque amore ducuntur.

Et vero insoliti subita ad spectacula monstri
Continuo arrectae mentes; incensa cupido
Portenti occultas investigare latebras.
Certatur studiis; atque, ut gens (a) quaeque sagaci
Ingenio praestat, reliquas praevertere tentat,
Et ferre insignem pulcro in certamine palmam.

Certamen nationũ in pervestigatione virtutis electricae.

Aspice. Se campo ante alios ardentior infert
Gallus, & optatam tendit properare citato
Ad metam cursu. calcem terit aemulus Anglus,
Et sibi prima petit, quem propter clara reperta
Plurima nunc caelo sublimem gloria tollit.
Pone subit studio Batavus succensus eodem,
Et fidens animis, atque ocyor alite vento
Evolat, & palmae jam spe praesumit honorem,
Nec minus eximiae laudis correptus amore
Ingenio praestans succedit Iberus; Iberum
Germanus premit, & spatiis propioribus instans
A tergo totis praeeuntem viribus urget.

Aemulatio nationum.

Omnibus idem ardor summo contendere nisu
Propositum ad decus, & speratae ad praemia palmae.
Ut quenque extremum pudet esse, ita vincere certat
Praepetibus plantis cursuque anteire priorem;

Quo

(a) Longum esset & supervacaneum singulorum Auctorum numerum recensere, qui e diversis totius Europae nationibus, sive in electricitatis phaenomenis exponendis, sive in pervestigandis eorum causis, elaborarunt, libri enim paene innumerabiles postremis hisce annis hac super re prodierunt, quos, qui velit, facile consulere poterit.

Quo ſibi praerepta, ſociis poſt terga relictis,
Emeritos poſſit crines vincire corona.
Tum fremitus caveae, nec non diverſa faventum
Inſtigant animos ſtudia, & calcaribus urgent.
Acrius hoc inſtant curſu; jamque ultima, plauſum,
Plauſum inter fremitumque, tenent. Sublimis in axe
Laurum praetendens anceps Victoria pendet.

Non Peluſiaci tanto olim exordia Nili (a)
Et ſtudio quaeſita, & veſtigata labore
Crediderim tanto. Ille alio caput abdidit orbe,
Quaerentumque diu curas eluſit inanes
Occultans ſe ſe; longo poſt tempore demum
Extulit os almum terris, ſacroſque (b) recluſit

Veterum ſtudium in inquirenda origine Nili.

(a) Expeditionum, ad originem Nili detegendam, immenſis ſumptibus ac laboribus ſuſceptarum, Scriptores veteres meminerunt. *Nullaque non aetas*; inquit Lucanus lib. 10. *voluit conferre futuris notitiam*. Sed tot labores ac ſumptus, atque adeo expeditiones ipſae incaſſum reciderunt. Lucani enim tempore ignota prorſus erat origo Nili; unde idem poeta de obſtinatiore fluvii hujus latitantis ingenio illo hemiſtichio conqueſtus eſt; *Vincit adhuc natura latendi*, ſed minime vicit conſequentium temporum diligentiam ac perſpicaciam. Opera enim praecipue PP. Societatis Jeſu, qui diſſeminandi Evangelii cauſa cum in ultimas atque abditiſſimas Africae partes penetraſſent totas illas regiones ſcrutati ſunt, origo tandem nobiliſſimi fluminis & totam Aegyptum aquarum ſuarum irrigatione foecundantis detecta eſt in editiſſimis montium illorum jugis, qui a luna nomen habent. Vide Regnaltii *Les entretiens phyſiques d'Ariſte & d'Eudoxe* tom. 2. pag. 268. edit. Pariſ. an. 1732.

(b) Hic auctor, ut ſaepe alibi, veterum gentilium Poetarum more, loquutus eſt, qui falſo putabant fontes, unde primum erumpunt flumina, ſanctos eſſe; &, aut Nymphis, aut fluminibus ipſis, quae divinitate donabant, conſecratos.

Fontes ; latiſluo unde erumpens gurgite , perque
Camporum ſpatia immenſa tractuſque volutus ,
Et laetas ſecum fruges ſpemque uberis anni
Convectans , fortunati petit arva Canopi ,
Et totam Aegyptum felicibus alluit undis .

Itali nihil hac in laude exteris concesse-runt.

Verum ubi te , noſtra primum memoranda camoena ,
Dilecta ante alias caelo , pulcherrima rerum
Italia , Heroum genitrix foecunda , reliqui ?
Anne pigro tu ſola ſedens , torpenſque veterno
Spectaſti egregios aliorum ignava labores ?
Nil igitur te laudis amor ? nil conſcia virtus
Impulerunt reſidem in mediam deſcendere arenam ?
Sic tua ſic ſemper pia numina vota ſecundent ,
Ut te degenerem non ulla redarguet unquam
Aetas , oblitamque tui decorumque tuorum .
Quantum opere in tanto tua ſe ſe cura probarit ,
Ingenii quantum ſollers induſtria gentes
Te ſupra extulerit reliquas , haud neſciat ille ,
Qui legat Auguſtae quae ad moenia Taurinorum (*a*)
Edita prodierunt , immortalique perennem
Auctori peperere ſuo cum nomine famam .

Nec

(*a*) Poſt Franklinum nemo P. Joanne Baptiſta Beccaria , Viro doctiſſimo e Scholis piis, & In Academia Taurinenſi Phyſicae Profeſſore , nemo , inquam , in virtutis electricae diſquiſitione neque contentius , neque felicius elaboravit . Plura hac de re a Franklino didicit , multa ipſe invenit atque edidit ; ut in hoc curſus certamine , quod poeta noſter inſtituit , cum Franklino ipſo de palma contendere jure videri poſſit .

Nec vos transierim, Socii, (a) quos impulit idem,
Accenditque animos ardor succedere tantae
In partem laudis; testis Florentia, testis
Intercisa sibi fluvio cognomine Parma;
Testis & extremi sinus orbis, & ultima regna
Sinarum; (b) immensum ne quos disterminat aequor,

PP. Itali Soc. Jesu suam operam eodem contule-runt.

H 3 Hic,

(a) Longum quoque, uti supra diximus de exteris Scriptoribus, ac supervacaneum esset hoc loco Scriptores italos e Societate, qui de virtute electrica tractarunt, atque aliquid saltem ediderunt, recensere. Eos tantum nominabo, quos poeta indicat, cum *Florentiam & Parmam* testes suae affirmationis appellat. Florentiae Leonardus Ximenius, jam libro primo a poeta laudatus, machinam electricam ad capienda experimenta extruendam curavit. Qua quidem occasione poeta noster machinam primum vidit, & virtutis electricae admiranda phaenomena non suspexit modo, sed ipso suasore atque adeo impulsore Ximenio ad ea versibus exponenda aggressus est. Parmae vero accuratissimam in electricitatis phaenomena disquisitionem Jacobus Belgradus instituit, quam eadem in urbe anno 1749. edidit; unde multa experimenta, quae in suum carmen induxit, poeta noster mutuatus est.

(b) Socios innuit, qui in amplissimo Sinarum imperio propagnandae Religionis Christianae causa diversantur; quem ad finem cum plurimum liberales artes ac disciplinae praesertim mathematicae conducant, idcirco eas non negligunt, sed optimo ac maxime Catholicae Religioni salutari consilio pro viribus excolere contendunt. Jam quod ad rem nostram attinet, quantam Pekinenses Patres, in illa longinquitate locorum, in virtutis electricae investigatione operam impenderint ex Ephemeride encyclopedica cognoscatur, ubi tom.6. part.2. pag.10. ad mensem Septembris an.1764. haec habentur, quae e gallica lingua italice reddita hic damus.

I Gesuiti di Pekino, che mantengono un regolato commercio con gli Accademici di Petroburgo, e à loro rendono conto delle fatiche, che essi fanno in ogni genere di studio, dierono, qualche tempo fà, notizia di una esperienza sulla elettricità, la quale può parere una delle esperienze più proprie per istradare a stabilire una sicura teoria di questa singolare proprietà de' corpi.

Hic, mihi se quando locus offert dexter, omittam.

Nicolaus Arrighettus Florentinus

Te (*a*) vero ante alios, primo sub flore juventae

Ver-

pi. Si applica una lamina di vetro elettrico ad una bussola coperta essa ancora da un' altro vetro; e subito l'ago piantato sul perno alza la punta, e si accosta alla parte interiore del vetro, con cui è coperta la bussola, e quell' ago resta in tale situazione per due, o tre ore; dipoi l' ago torna improvvisamente a eadere, e ripiglia la sua consueta situazione. Si leva la lamina del vetro elettrico di sopra alla bussola; ed ecco il maraviglioso. in un batter d'occhio l' ago torna a salire, e di nuovo si accosta al vetro, che cuopre la bussola, e vi resta attaccato per due, o tre ore, come avea fatto innanzi. Si raccosta la lamina, e l' ago torna a cadere; la lamina si toglie, e l' ago torna ad alzarsi, e questo giuochetto può ripetersi eento volte, come hanno fatto i Gesuiti. In che modo non si dee rimaner sorpreso al vedere in questa esperienza, come quella elettricità, ehe parea totalmente estinta dopo il eorso di qualehe ora, in un solo istante, senza nuovo fregamento, il quale la provochi, venga a ravvisarsi col solo slontanare la lamina, e manchi all' accostare di questa lamina istessa? Il Sig. Repino, informato di questa singolarità, si è applicato a ricercarne la causa, e ad esaminare, se essa potesse dedursi dalla teoria del Sig. Franklino; colle più scrupulose precauzioni ha ripetuto questi esperimenti, e gli ha trovati tanto conformi alla detta teoria da lui già adottata, che i medesimi lo anno pienamente confermato a seguitarla.

(*a*) Intellige P. Nicolaum Arrighettum, olim in Collegio Florentino poetae nostri collegam. Atque hic Vir quidem eruditissimus Senis cum esset, & in Collegio Ptolemaeo Physicam, quam vocant experimentalem, magna auditorum, ac praecipue nobilissimi illius Collegii contubernalium, frequentia doceret, non machinam modo electricam construendam curavit; sed tantum instrumentorum ad quaeque experimenta capienda, tamque copiosum ac prope incredibilem apparatum instruxit atque collegit; ut Senae, si caeteris ornamentis, quibus tamen abundant, carerent, ejus unius, quem dixi, apparatus causa, quod de Thespiis, propter insigne illud Cupidinis simulacrum scriptum reliquit Cicero, visendae essent. Demum post diuturnam Senis commorationem clarissimus Vir, longo veluti postliminio, in patriam reversus est, & in

Vernantis, longoque usu mihi cognite, quique
Impiger his ipsis jamdudum accingeris orsis,

H 4 Quo

& in Florentino Collegio aliquot annos versatus multa, quae e gallico in italicum sermonem convertit, publicae utilitatis studiosus edenda curavit. Nunc autem Senas eundem reversum Collegio S. Vigilii praepositum Rectorem esse audio. Dum haec autem ipsa carmina imprimerentur praematurae tanti Viri mortis allatus est nuncius. Verum si mortis ipsius causam spectemus; est sane cur potius religiosissimi Patris vicem invideamus, quam ejusdem acerbum funus luctu ac moerore prosequamur. Grassante enim Senis hoc ipso tempore epidemico morbo, cum is publicum maxime nosocomium corripuisset, multique in eo aegrotantes, sacerdotum inopia, sive periculum defugientium, sive contracto morbo decumbentium, ultimis animi praesidiis destituti exstinguerentur, imploratoque ob eam rem a PP. Soc. Je. subsidio, Collegii Rector oblatam sibi tam pii officii obeundi occasionem non omittendam ratus, una cum aliquot ejusdemCollegii sociis nosocomium ipsum, tanquam ad vitae prope certum discrimen, ut ipse in epistola hac super re ad Praepositum Provincialem data paullo ante significaverat, adire non dubitavit. & sane, quod verebatur, evenit. Nam non ita multo post, quam pium exercere munus alacriter coeperat, contagiosa lue suscepta, diu multumque cũ gravissimo morbo luctatus, tandem ejusdem violentia oppressus, una cum ejusdem pii muneris consortibus P. Aloysio Ginammo Bergomate, & Fratre adjutore Joanne Nesio, victima charitatis occubuit. Is fuit P. Arrighetti exitus, quem totius religiose anteactae vitae suisque eximiis virtutibus respondentem sortitus est. Natus erat Florentiae antiqua ac patricia familia, parentibus Honuphrio Arrighetto Equite Bajulivo S. Stephani, eximiae probitatis Viro, & Cassandra Bardia ex Comitibus Vernii. Natu major, relicto fratri amplo patrimonio Soc. Je. adscribi voluit. Inita Societate, quo sibi suisque spem omnem regressus praecideret, multo maturius, quam recepta jam consuetudo ferat, Sacerdotio initiari petiit, & a supremo Ordinis Moderatore impetravit. Multa Vir hic egregie eruditus, Mathematicus & Philosophus insignis scripsit & edidit, quorum index hic exhibetur.

De altitudinibus mensurandis exercitatio Geometrico-Astronomica. Romae anno 1746.

Dissertationum compendia philosophica de origine, & causis. I. Fontium perennium & Fluviorum. II. Electricitatis recentium phaenome-

no-

Quo te conatusque tuos ego carmine dicam ?
Et memini , & jucunda quidem meminisse voluptas ;
Olim Florentiae collega auctoris in magisterio. Cum nos Flora animis concordibus alma teneret ,
Tecum multa Arni vacuum viridantis amoenâ
Lusisse in ripa. tunc mens erat una duobus
Edita inaccessi reptare ad culmina Pindi ,
Atque inde insignem lauri de fronde coronam
Ferre , decus capiti . Sed te majora manebant ,
Scilicet. abstractum Musarum e dulcibus ulnis
Excepit Sophia alma sinu , nugisque relictis
Occultas jussit rerum disquirere causas ;
Et medium lecta juvenum stipante corona
Abdita naturae vulgare arcana latentis.
Docuit Philosophiam Senis. Sena vetus , magna deducta colonia Roma ,
Ultro arcessitum, meritis & honoribus auctum
Laeta fovens tenuitque diu , & mirata docentem est.
Illinc digressum patria Florentia sede
Nunc tenet , & tanto laetatur cive recepto .

tiorum . III. Idearum humane mentis . Senis an. 1748.

Ignis Theoria solidis observationibus deducta . Senis an. 1750.

Lucis Theoria . Senis an. 1752.

De motus Mercurii causa in Barometris Dissertatio . Senis an.1753.

Epitome Theoriae electricae . Senis an. 1756.

Il Baron Van-Esden, ovvero la Republica degl' Increduli Opera del P. Michelangelo Maria dell' Ordine de' Minimi, dall' idioma Francese tradotta , divisa in capitoli , di sommarj e di tavole accresciuta per un Teologo Toscano Tomi 4. In Lucca l'an. 1765.

ELE-

ELECTRICORUM

LIBER IV.

PRotinus arcanas non longa indagine causas
Exponam mirae virtutis, & abdita pandam *Libri IV. propositio.*
Naturae, incoeptum properans absolvere munus.
Nam quis (a) ab extremo subitam procul orbe putasset
Obscuris adeo lucem affulsisse repertis?
Et vero affulsit. Longe qua barbara cultis
Diffidet Oceano terris America refuso,
Anglus homo (b) dubiis primum mortalibus almam *Franklinus Anglus in America constitutus causam invenit.*
Ostendit lucem; caecae qua protinus umbrae
Discussae, & causae penitus patuere repostae.
Frustra alias alii meditando inquirere causas,
Explorare aditus omnes omnesque latebras,
Et tentare sinus; aspirans siqua labori
Ferret opem, regeretque viam fortuna. jacenti

Solus

(a) *Nam quis pro quisnam* non caret exemplo optimo, & quidem Virgiliano. Virg. Georgicor. lib.4. ver. 445. *Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras jussit adire domos.*

(b) Franklinus Anglus in America constitutus novam Theoriam excogitavit, qua virtutis electricae phenomena explicarentur. Hanc utpote reliquis probaliorem sequuti sunt omnes, qui de vi electrica tractationem aliquam instituerunt; hanc ipsam vero Theoriam Parthenius noster amplexus, suis ipse versibus, quantum summa rei difficultas sivit, exornare conatus est.

Solus hic e terra caput extulit, atque peragrans
Aërios animo tractus, secumque volutans
Eventus varios caeli variabilis, alto
Deduxit mirae virtutis ab aethere causam.
Ergo dum tota Európa contenditur, & dum
Pro se quisque student niti praestante labore,
Praeripuit cunctis tanto in certamine palmam.

Franklini laus.

Macte tua virtute, Heros, non gloria inanis
Alphei in ripis curru quaesita volante,
Non evitatae circensi in pulvere metae
Victorem extulerunt caelo; sed vivida mentis
Te vis, atque ardens evexit ad aethera virtus.
I, sequar, & certo tua per vestigia calle
Incedam; neque me, duce te, via fallet euntem.

Eadem causa electricitatis naturalis, atque artificialis.

In primis, quaecunque vides contingere olympo,
Cum Pater altitonans vulcania tela rubente
Molitus dextra caelum quatit omne fragore,
Atque procellosa tetrae in caligine noctis
Horrifico densos percurrit lumine nimbos;
Non aliam credas causam has succendere flammas
Aëris in campis, tantosque excire tumultus,
Quam quae scintillas attrito a corpore vitri
Et resonas raucis stridoribus elicit auras.
Nimirum vis una subest; sed fortior alto
Longe majores eadem ciet aethere motus.
Hinc primum dubiis visa est affulgere rebus

Spes

Spes aliqua ; hinc aditus penetralia in abdita primum
Naturae patuit ; mox Experientia venit
Subſidio , comitemque viae ſe ſe addidit ultro .
Ipſa iter ignaros docuit , taedamque coruſcans
Diſpulit affuſas oblata luce tenebras ;
Ipſa incerta regens certis veſtigia ſignis
Perſtitit uſque viae comes indiviſa ; nec ante
A latere abſceſſit , monſtrato tramite , quam ſit
Progreſſum ad caecae ſecreta cubilia cauſae .

Prima indicia electricitatis de caelo capta.

Hic autem capiat te nolim improvidus ardor ,
Incendatque animum ſuperas conſcendere ad arces ,
Et propius denſo ſpectare micantia caelo
Fulguraque , & ruptis eliſos nubibus ignes .
Siſte gradum , ſubitumque ardorem comprime , ſiquis
Inconſulta tibi ſuccendit pectora . tempus
Non illhaec ſibi poſcit adhuc ſpectacula ; mirae
Poſt ubi , jam quaeſita ſatis , virtutis origo
Se demum nobis oſtenderit ; aetheris altas
Tum vero peragrare vias , ſi tanta cupido ,
Et dabitur ſuperis errare licentius oris .

Superſedēdum ab inveſtigandis phaenominis caeleſtibus.

Quare age ſis , animum mea nunc ad dicta referto ,
Praeciſaque omni longarum ambage viarum ,
Hactenus expoſitis (neque enim vacat ire per omnes)
Quae ſint (*a*) eventis ſtatuenda exordia , paucis

Inveſtigāda prius cauſa electricitatis artificialis

Acci-

(*a*) Huic loco adnotationem ſubiicimus , quae a nobis multo ante , atque adeo jam inde ab ipſo hujus operis exordio collocari oportuit .

Prae-

Accipe ; quae nostri pars multo est maxima coepti.
Virtus electrica late diffunditur. Principio aethereos tractus camposque liquentes
Terrasque & vasti Neptunia regna profundi,
Arboreas stirpes, animantum membra, metalla,
Marmoraque & gemmas, atque omnia denique virtus,
Insinuans virtus comprendit corpora ; sive
Uvidus illa vapor tibi sit ; sive halitus ardens ;
Sive etiam fluctus subtilior ; excita certe
Discurrit late, magnosque dat undique motus.
Hanc Deus omnipotens inde usque ab origine rerum
Condidit ; & fusam, pro divitis ubere (*a*) census,
Naturam voluit longe lateque per omnem.

Sed

Praecavendum enim fuerat, quidquid lectori nimis fortasse delicato fastidium aliquod creare poterat. Vox *eventus*, quae passim hoc in opere usurpatur, sive masculino, sive foeminino genere elata, si cui minus latina eo sensu, quo ab auctore adhibetur, forte videbitur, is profecto nimis duram latina lingua scribentibus legem constituet. Vox enim haec ea, quae accidunt, proprie significat, sive casu, ut loquimur, sive certa de causa eveniant. Cic. ad Att. lib. 9. ep. 5. *semper causae eventorum magis movent, quam ipsa eventa*. Eventa igitur recte dici possunt, quae ex causis & quidem certis minimeque ignoratis proficiscuntur; ea nimirum, quae *effectus* latino vocabulo, & minus latino *phoenomena* appellamus. Praeterquā quod auctori, in re nova ac difficillima, summa vocum inopia laboranti nullum aliud fortasse vocabulum suppetere opportunius poterat, quo effectus ipsos ac *phoenomena*, quae describenda suscepit, explicatius indicaret. Quapropter non est, cur quisquam auctoris aut in vocum delectu incuriam carpat, aut in iisdem usurpandis judicium elegantiamque desideret.

(*a*) Hoc est pro summa atque incredibili fluctus electrici copia, qua corpora omnia affatim non abundant solum; sed etiam, quod captis saepius experimentis convincitur, redundant.

Sed non, delectu nullo, vulgo omnibus idem
Corporibus primo Pater hanc insevit ab ortu;
Certis dumtaxat, certo discrimine, quaeque
Praecipua elegit, numeroque optavit ab omni.
Hanc illis large infundens ipse addidit ultro;
Atque dedit propriam ferre, ingenitamque reliquit.
At reliquis ita corporibus Pater omnibus aequus
Cavit, ut oblatam acciperent, ipsamque receptam
Inde aliis etiam possent transmittere habendam,
Atque aliis deinceps; ut sic per corpora cuncta
Serperet, & longe manans lateque mearet.
Sed, ne mirandae virtutis semina prorsus
Deficerent jugi defluxu, hoc denique pacto
Provisum. largis nam quanquam effundere rivis
Corpora non illam parcant; tamen illius unquam
Haud est cur metuant ne copia desit; in ipsis
Quippe manet non deficiens & jugis origo.

Certis corporibus ab ipso ortu indita fuit.

Reliquis corporibus derivatione impertitur.

Ergo perpetuo quanvis per corpora serpat
Effluvio, terrasque ubertim irroret, & oras
Irriget aërias, nunquam non copia venis
Rumpit inexhaustis, intermittitve fluendo.
Jamque licet, prima quae non ab origine miram
Virtutem ebiberunt exsortia corpora, large
Oblatam accipiant; & quod natura creatrix
Abnuit, inde avido curent sibi quaerere potu,
Unde eadem nunquam non effluit ubere vena.

Fluctus electricus exhauriri non potest.

Fluctus electricus a corporibus secundi generis exsorbetur.

Et

Et vero non sic avide sitientia rivos,
Si quos induxit vigilis pia cura coloni,
Prata bibunt; neque sic riguos violaria fontes,
Cum gravis humorem siccis ardoribus alto
Absumpsit Titan caelo, atque exsucca reliquit;
Corpora uti ingenita virtute carentia gaudent
Largius epoto se se perfundere fluctu,
Virtutemque una cum fluctu haurire potentem.

Varia corporum sitis.

Verum his non eadem sitis est, non omnibus idem
Ardor corporibus; potum magis illa frequentant,
Haec minus; ut crebros magis, aut minus acris ad haustus,
Pro vario quorunque habitu, sitis urget. ubi illam
Haustibus explerunt certis, saturata quiescunt.

Modus corporum in bibendo.

Porro hanc mensuram natura, modumque bibendi
Provida constituit. nec vero largius, illa
Quam sinat, indulgent potu male sobria; quanquam
Materies plenis exundans fluvida rivis
Irritetque sitim, atque novos invitet ad haustus.

Materiae electricae proprietates exponuntur.

Nunc age materiae ipsius, quo praedita fertur,
Persequar ingenium, atque exponam carmine vires;
Quas bene perspectas exploratasque juvabit
Jam nunc, quo citius reliqua expediantur, habere.

Materia electrica est subtilissima.

Tenvis ea in primis est, & subtilior ipso
Aëre; nimirum minimo quae semine constat.
Hinc caecas ingressa vias arctosque meatus,
Exsuperatque oditque moras, & lubrica serpit.

Nil

Nil tibi non eadem pervadet; nil satis illi
Occurret clausum; vulgo omnia corpora, denso
Quantumvis textu constent & dura repugnent,
Vincet agens se se, penitusque illapsa subibit.
Ut semel excepta est, per & intima & extima cursu
Liberiore fluit; ceu si putealia rubro
Pocula miscueris Baccho; distracta per omnem
Continuo lympham Bacchi vis spargitur; & jam
Tota interfuso rubet unda infecta lyaeo.
Sic illa extemplo, quae nacta est corpora, tota
Insinuans obit, & late diffusa pererrat,

Semel excepta per omnes corporis partes diffunditur.

Cuncta pererrantem, penitusque reposta petentem
Ut non impediunt praeduro corpora textu,
Sic non ulla citam spatia interjecta retardant,
Non adeo velox nervo stridente sagitta
Missa fugit, celeresque volans praevertitur euros;
Ut cursu praeceps delabitur illa; vel ipsis
Ventorum rapidis, & fulminis ocyor alis.

Est maxime velox.

Jam vero anfractus vitat, longasque recurvo
Circuitu ambages; & non, nisi fortior illam
Vis adigat, callem obliquat, compendia quaerens.
Inde via incedit breviore (a) & tramite recto

Via recta, quae est omniũ brevissima, decurrit.

Ten-

(a) Superiori experimento allato pag. 33. evincitur, saltem generatim verum non esse, quod hoc loco poeta affirmat; nempe fluctum electricum semper per viam breviorem tendere; nec vero, nisi a fortiori vi adigatur, unquam ab eadem deflectere. In allato enim experimen-

Tendit iter pernix ; atque impete lapſa citato
Impatienſque morae decurrit ; & impete eodem ;
Obvia corpora abripit. Nare incerta ſolent toto quae plurima caelo ,
Forte ſibi in medio fiant ſiqua obvia curſu ,
Arripit aſportans ſecum , verritque per auras .
Negat adſtringi lege. Non amet aſtringi quanquam ulla compede legum ,
Gaudeat & caelo ſpatiari libera aperto ;
Paret tamen. Haud tamen omnino imperium , nec jura recuſat
Indocilis . quin & ſequitur ; quamcunque vocaris
In partem , juſſoque aſſueſcit tendere calle ;
Exlegem certo ſi circumſcribere jure
Noveris , atque ſuis fugientem adſtringere vinclis .
Illam autem humorum numero adcenſere liquentum
Liquidorũ corporũ proprietates habet. Ne dubita ; uſque adeo naturam imitatur , & omnes
Una refert mores liquidorum . proinde vocata
Hinc derivato & proprio eſt jam nomine *fluctus* .
Nec fortaſſe aliud magis olli nomen adhaeſit
Conveniens , quodque ingenium magis exprimat . Ergo
Fluit & refluit. Et fluit , & refluit ; nec non procurrit ab illa ,
Qua ſuperat , parte , & vicinum corpus inundat .
Stagnat interdum. Stagnat iners interdum ; & lentae more paludis ,
Haud quoquam aequato decurrit pondere ; contra
Si paulum inclinet devexum pondus in unam

Par-

mento nulla vis intervenit ; fluctus tamen electricus per longiorem aenei fili ſub terra latitantis ac depreſſi , nec non in arcus formam curvati incedit , & eo uſque , ubi condicta ſigna amicus exſpectat , felici derivatione progreditur .

Partem ; qua parte incubuit, delabitur illac ;
Sin autem incertum nutet, certo quoque ſtare
Illa loco neſcit ; titubatque, & fluctuat anceps. *Fluctuat incerta.*
Nec requies. iterum dum juſto examine, & aequis
Ponderibus librata haud patre exuberet ulla.

Quid ? quod & interdum vires capit auctior, & ſe *Aucta capit vires.*
Exonerat tanto violentior impete, quanto
Exſuperans magis alterutra de parte redundat.
Ceu, modo qui placidis decurrens leniter undis,
Et ſibi deſcriptis contentus finibus amnis
Stringebat ripas, & pinguia culta ſecabat ;
Vere novo, ſi forte gelu nivibuſque ſolutis,
Undarum creſcat ſubitis acceſſibus auctus ;
Nec mora, tranſcendit ripas, ſubjectaque victor,
Aggeribus fruſtra prohibentibus, exit in arva
Spumeus, & tumido late premit omnia fluctu.
Non ſecus illa, novo ſi creſcat ab ubere, vires
Majores capit ; &, quae corpora forte propinqua
Nacta ſit, aut certo delectu objecta, redundans
Obruit, & multo exſuperans interluit aeſtu.

Hoc mirae ingenium virtuti ; hae denique multo *Phaenomenorum explicatio a virtutis natura & proprietatibus petenda.*
Compertae ſtudio vires. hinc illa per omnem
Naturam rerum, ſtagna & per maxima Nerei,
Aetheris & liquidas late diffuſa per oras ;
Hinc vivos animantum artus, atque intima terrae
Viſcera ſublabens, neque nuſquam lubrica ſerpens

Mille parit visenda novis spectacula formis,

Laetandum causa reperta.

His ita praemissis, studio & sollerte notatis,
Est modo cur demum causa laetere reperta
Exsultans animis. non hic labor irritus, hic non
Susceptae incassum summo molimine curae,
Abdita tantarum ratio certissima rerum
Conspicuis manifesta notis, & nube remota
Se se aperit jam sponte sua; jam claustra patescunt
Intima naturae reseratis postibus, & jam
Affusa late clarescunt omnia luce.

Specimen theoriae Fräklinianae exhibetur.

Quare age, & accedens qua machina tollitur, & qua
In gyrum facilis torquet rota subdita vitrum,
Intentis oculis vigil excuba, & omnia lustra,
Jam nunc delibans verae praeludia causae.

Decursus fluctus electrici observandus.

Cum duo praescripta committis corpora lege,
Si certo sumpta e genere, observabis ab uno
Corpore materiem declivi tramite pronam
Defluere, inque aliud tacitis excurrere rivis;
Quod jam consuetis poteris cognoscere signis,
Nempe hoc indicio est, rigui quod copia fluctus
Semper tendat eo exundans ubi desit; eodem
Rursus non unquam refluo in contraria tendat
Gurgite procurrens, ubi jam suscepta redundat.

Cessatio fluctus perpendenda.

Observabis item, interdum tibi corpora nullum
Edere, quae secum institeris committere, signum.
Unde etiam indicium capias licet, illa peraeque,

Quae

Quae forte imprudens ſignis optaris habendis
Affecta, & riguo aut ſiccis arentia fibris
Deſtitui, aut contra bene pota tumeſcere fluctu,
Qui cum deficiat, vel utrinque exuberet, haud eſt,
Uſquam ponderibus non inclinantibus, idem
Cur hanc in partem potius, quam tendat in illam.
Nec minus hæc inter voto expectabis inani
Signa tibi flammis conſueta ſonantibus edi,
Si lecta a prima ſint utraque corpora claſſe,
Tum quia ſunt proprio per ſe ſatis uvida fluctu;
Tum quia, quem ſemel hauſerunt ab origine, nunquam
Ingenitum amittunt, ſemperque tenacia ſervant.

Defectu & exceſſu fluctus omnia conficiuntur.

Haec fluctus momenta, & inaequales menſuras,
Defectum, *exceſſumque* vocant. deprendere porro
Alterutrum toties dabitur, concurrere ſecum
Corpora tu quoties quae demum cunque jubebis.

Idem defectus & exceſſus in eodem primi generis corpore deprehenſus.

Quanquam ***defectum*** vel in uno corpore, nec non
Exceſſum, prima delecto e claſſe, notabis.
Nimirum attritu ſubducti, tempore eodem
Si quantum ingeniti fluctus erumpat ab una
Parte, ſuperficies ſuffecti haud altera fluctus
Tantundem accipiat. quod non conabere fruſtra,
De medio ſpeciem ſi quae ſunt nacta ſecundam
Corpora ſuſtuleris, quae nectant inter utranque
Corporis ejuſdem commercia mutua partem.
Si quando hoc autem praeter contingere morem

Hoc autem magis singulare, quã ut curam facessere debeat.

Cernas, id te non angat; mirabile nanque
Censendum magis est; intentam quam aut sibi curam
Vindicet in praesens, aut noster postulet usus.
Quod caput est, moneo, reflui alternantia fluctus
Momenta, & repetens iterumque iterumque monebo,
Sedulus observa; & quanam tibi parte redundet,
Vel qua deficiat fluctus, prius exige tecum,
Et crebro reputa, multumque diuque voluta,
Quam quidquam temere, & male cautus praecoce cura
Constituas; atque his tum denique rite notatis,
Haud equidem dubito, quin unius omnia fluctus

Vera caussa statuitur.

Defectu excessuque regi, certoque petenda
Vera hinc tantarum fateare exordia rerum.

Longiori digressioni via sternitur.

Jamque rate his veluti e scopulis utcunque revulsa,
Prona mihi quando superatis aequora saxis
Dant se se, pelagoque juvat decurrere aperto;
Posceret hic rerum series, ut protinus ipsa
Eventa adnectens detectae singula causae,
Quonam quaeque modo sint expedienda, docerem.
Verum, quod rerum series, & postulat ordo,

Ludovicus de Laborde Gallus Soc. Jes.

Perficiam non ante; Viri (*a*) quam clara reperta
Commemorem, medio qui me intercepit euntem
In cursu, & plenis properantem ad littora velis.

Et

(*a*) Ludovicus de la Borde Gallus e Soc. Je. novum cymbali genus reperit miro artificio perfecti, cujus quidem cymbali, exposita prius Labordii nova Electricitatis Theoria, totum ac plane singulare artificium a poeta nostro infra describetur.

Et res digna quidem, quae commemoretur, & omnem
Intendat curam; neque vero devia tantum
Proposito a nostro, possim ut tibi jure videri
Recta deflexisse via, munusque receptum
Urgere impatiens, omnino aliena sequutus.
Quare age; qualiscunque morae dispendia tanti
Nequa tibi fuerint, ut circumflectere cymbam
Nunc paullum, & laetam mecum divertere ad oram
Te pigeat. divinam hominis miraberis artem,
Qui nova solerti fabricatus cymbala dextra,
Non prius auditis concentibus aëra mulsit,
Attonitasque novo modulamine perculit aures.

Novi cymbali genus.

Ac vero, egregii quo a me repetatur origo
Altius inventi (*a*), non is tibi more recepto

Exponitur Systema Labordii.

I 3 In

(*a*) Labordius igitur paullo ante indicatus novum quoddam Systema, quo phaenomena electrica certius explicari posse arbitratur, excogitavit; atque hoc quidem suum Systema Parisiis edidit an. 1761. Verum, quo facilius, quae a poeta nostro versibus exponuntur, intelligantur, novae hujus Theoriae specimen hic exhibemus. Contendit primum Labordius, Philosophos in descriptione corporum hactenus fuisse hallucinatos, quod electrica origine censuerint ea corpora, quae re ipsa non origine, sed participatione electrica sunt; & vice versa, quae participatione sunt electrica, ea esse origine existimarint. Quare invertit corporum ordinem jam receptum, & novum quendam censum, ut poeta eleganter ait, instituit. Hoc autem ne temere a se factum quisquam criminetur, multis ille allatis experimentis nititur confirmare. Hinc ad indagandam electricae virtutis naturam delapsus, eam minus quidem igne elementari subtilem, igne tamen communi subtiliorem esse vult; illamque praeterea minutissimis constare globulis conjicit, qui e mutua collisione acceu-

In jam deſcriptas partitur corpora claſſes .
Longe alium inſtituit cenſum ; jubet , omnia ſeorſum
Corpora mutatis diſcedere ſedibus ; & , quae
Conſtiterunt prima nobis ſtatione locata ,
Inde movet ; tum , quae ſeſe tenuere ſecunda ,
Haec quoque deturbat . verſo ſic ordine ſedem
Alterum in alterius ſuccedere praecipit ; atque his
Iſto deſcriptis pacto , quae *electrica* nobis
Sunt naturâ , illi ſunt munere ; quaeque receptant ,
Illis ingenitam virtutem donat habere .

Jam-

cendantur . Tum denique materiam ipſam electricam iis legibus, quae de elaſticis corporibus jam latae ſunt, & a Phyſicis receptae, obnoxiam facit, ita, ut ad earundem legum praeſcripta motus omnes dirigantur . His ita conſtitutis, phaenomena omnia diſtribuit in claſſes tres . Prima ea phaenomena complectitur, quae *attractionis & repulſionis* vocat ; altera, quae *inflammationis* ; tertia , quae *commotionis ac tremoris* : his enim nominibus ea phaenomena indicat , quae a poeta noſtro , poetarum lingua loquuto , poeticè atque eleganter more ſuo efferuntur . Jam vero primae claſſis phaenomena ad eam elaſticorum corporum legem revocat, quae eſt de reflexione ; nimirum , *ſi corpus elaſticum in aliquem obicem offendat , reflectitur* ; ſecundae claſſis ad illam alteram , quae conceptis verbis hoc modo a Phyſicis effertur, videlicet ; *Compreſſio eſt ut reſtitutio , reſtitutio autem ut compreſſio* . Tertiae demum claſſis phaenomena ea pariter elaſticorum corporum lege contendit exponere , quae eſt hujuſmodi ; nempe ; *ſi plura corpora elaſtica contigua ſint , motus primo corpori impreſſus reliquis conſequentibus communicatur* . Hoc eſt, ſub uno veluti intuitu propoſitum , Labordii Syſtema . Atque haec quidem praenotare maxime opportunum hoc loco viſum eſt , quo facilius , quae a poeta noſtro poeticè exponuntur a lectore intelligantur . Caeterum ita fere poema hoc totum perſpicuum eſt , ut adnotationum lumine non indigeat , ac proinde mihi ab his ipſis adnotandis prope ſuperſedendum fuerit .

Descriptio corporũ inversa a Labordio.

Jamque aliis alia, prisca statione relicta,
Corpora succedunt versa vice. jam novus ordo
Exoritur rerum; illa, una cum munere, mutant
Non invita locum, atque novo cognomine gaudent.
Non aliter, campo quam cum stetit agmen aperto
Dimensaeque acies, spatiisque aequalibus alae
Levatis fulgent armis atque aere corusco;
Nec dum commissis ineunt certamina signis;
Unius interdum nutu ducis, haud mora, totos
Perverti cuneos, atque in contraria ferri
Diductas cernes mutata sede phalangas;
Et modo, directo metati limite campi,
Quae dextrum obtinuit legio latus, illa sinistrum
Obtinet; at contra, quae laevum sorte tenebat,
Tendit in adversum, & dextro stat in agmine cornu.

Ratio affertur hujus inversionis.

Afferuntur experimẽta quae inversionem jure factã evincunt.

Nec vero tu mota loco, vel ab ordine credas,
Non ullo more, & sine certo corpora jure.
Nimirum haud fallax hoc experientia adegit
Moliri. Nam tute manu si sulphura tantum,
Quantum dextra valet connixa instare fricando,
Atterere aggressus consueta extundere signa
Coneris, nihil efficies; at signa dabuntur,
Si digitum admoris. simili ratione cylindris
E cera rubris rigidi si lamina ferri
Accedat propius, quae frictio signa negarit,
Lamina sufficiet. licet unde inferre, redundet

 Deri-

Derivata tibi quonam de fonte, quibusque
Insita corporibus sit prima ab origine virtus.

Virtutis natura inquiritur.

Nunc si naturam propius disquirere mirae
Virtutis tanta placet in caligine rerum,
Atque adeo densis lux affulgere tenebris

Statuitur cõstare globulis.

Siqua potest; globulis illam constare minutis
Conjicies, quorum subitis incursibus ignis
Ardeat, & rutila percellat lumina flamma.

Nequaquã ignem esse multa experimẽta ostendunt.

Sed tamen esse ignem specie ne captus inani
Inducas animum, ut credas; quod te bene multa
Tentamenta docent. resinam (a) panda nigrantem
Si patera excipiat, subjectis ignibus, aestu
Illam exsultare, & tumidis effervere bullis
Liquentem aspicies; ignis specimen tamen ullum
Non dabit; occultae tantum vestigia quaedam
Pandentur virtutis, ubi deferbuit ardor.
Certius hoc alio poteris cognoscere pacto.
Ferrea si candens accedat lamna catenae,
Vix tenuem excutiet flammam; tibi plurima flamma,
Et multa exiliens prodibit luce coruscans,
Lamina si rapido non ante incanduit igni.
Quod certe indicio est, ignem non esse latentis

Vir-

(a) Vox controversa; cujus vocis primas syllabas alii producunt, alii corripiunt; certantibus Grammaticis & in contrarias sententias abeuntibus, auctor suo usus arbitrio eas producere maluit, atque, ut ego quidem existimo, rectius; nam Martialis locus, qui citatur, & opinioni contrariae suffragari posset, corruptus est.

Virtutis naturam; ut crebris illa favillis
Ardeat, & multo cita lumine fulgura jactet.
Nam quod sit velox eadem tenuisque, penetret
Cum dicto citius quaecunque objeceris illi
Corpora, paene oculis promptum est cognoscere; quodque
Sit minime simplex tacito se prodit odore,
Indiciumque facit manifestum nidor; at ipsam
Ulterius certis naturam exquirere signis
Difficile est; atque in tantis incerta tenebris
Conjectura haeret, neque tendere longius audet.

Materia electrica tenuis est & velox.

Non est simplex.

Post hinc digressus palantes ordine nullo
Colligit effectus. collecti classe locantur
Quique sua; in prima censentur, corpora fuerunt
Qui levia attrahere, atque attracta repellere, docti
Alternare vices; classis tenet altera flammis
Ludere missilibus qui norunt, & cita gaudent
Fulgura jactare; illos demum extrema coërcet,
Quorum vis inimica fibris & noxia nervis.

Effectus precipui ad suas classes rediguntur.

His ita descriptis; ne, quaeso, hic quaere doceri
Singula. quae si tantus amor cognoscere, ab ipso
Tute auctore petes. properanti & summa metenti
In praesens sat erit paucis exponere, certa
Quanam vir sollers usus ratione, quibusque
Subsidiis fidens ignotum enaviget aequor;
Primus inexperto quoniam se credidit alto.
Quando igitur ponit globulis constare minutis

Multa ex ipso auctore petenda.

Vir-

Motus globulorũ statuitur.

Virtutis naturam ; explorat callidus , illis
Qui potior tantos motus ſtatuatur ad uſus .
Et vero e multis occurrit idoneus , & tot
Eventis par extricandis , corpora quo ſe
Mutua collidunt , atque incurſantia tundunt .

Colliſio corporum, vis elaſtica, & reſultus.

Corporibus proprium nimirum eſt illud , ut unquam
Non elidantur , quin protinus excita tendant
Impactâ eliſam plaga reparare figuram .
Praepollens facit hoc vis illa *elaſtica* , cujus
Haud dabit obſcurum ſpecimen tibi martia cornus ;
Cornus lunatos cum vi torquetur in arcus ,
Inter ſe coëunt capita ; & diverſa recedunt ,
Cum pennata fugit nervo ſtridente ſagitta .

Corpora aequant ictus.

Praeterea ad pugnam ſe ſe quandoque (*a*) laceſſunt ,
Corporaque adverſis incurrunt frontibus , ictus
Aequant ; & gravior quantum vis unius urget
Oppoſitum corpus , validiſque aſſultibus inſtat ;
Alterius tantum niſus contenditur , & ſe ,
Impatiens vinci , collectis viribus hoſtem
Armat in adverſum , parilique repercutit ictu .

Motus continuo non interit.

Illa eſt poſtremo motus natura reperta ,

Non

(*a*) Id eſt quandocunque . hoc eodem ſenſu ſcripſit Horatius , in Art. Poet. *quandoque bonus dormitat Homerus* , *Iraſcor*. nimirum quandocunque, vel quotieſcunque Homerus dormitat , illi iraſcor ; neque enim tantum Poetam ſomnolentum aut oſcitantem ferre aequo animo poſſum . Haec idcirco adnotanda putavi , quia locus ille Horatii a multis male intellectus perperam citari ſolet .

Non ut continuo intereat; sed praepete cursu
Festinans vigeat, seque in longinqua propaget.

Tria Labordius sibi cōcedi vult

Jam vero proprios hinc emanantia in usus
Inconcussa sibi tria vult & fixa manere,
Quae tu nequaquam abnueris concedere; rerum
Ducitur unde illi ratio omnis, & omnia recto,
Ille quidem ut censet, procedunt ordine. Primum
Si forte incurrens impingat corpus in obstans
Adversum, extemplo collisa fronte resultat;
Tum paribus secum *compressio*, itemque *resultus*
Lancibus aequantur; demum, si corpora plura
Perpetuo jungas sibi succedentia tractu,
In serie a summo motus decurrit ad imum.

Difficultas persequendi vestigia Labordii.

Haec sibi praesidia adjungens, & certus eundi
Urget iter, celeratque viam fidentius auctor.
Me vero magnis vadentem passibus, & per
Difficiles salebras gradientem, atque ardua saxa
Non animi viresque sinunt aequare sequendo.
Cerno equidem e media mihi depromenda Mathesi,
Et quam multa forent hic expedienda severas
Ad motus leges, quae culto exponere versu
Desperans me posse, onus inconsultus iniquum
Non tollam, imbelles humeri quod ferre recusant.
Exiguae nobis tanto pro pondere vires.

Digressio de laudibus Benedicti Stay.

Ille haec, ille tibi, neque enim omnia possumus omnes,
Expediet, si tantus amor, certasque Mathesis

Tran-

Tranſiget ad leges, cui nil cyrrhaeus Apollo
Non audere dedit; numerorum adſtringere nullae
Quem pedicae potuere, minus quo liber in omni
Exſultetque ſolo, & per iniqua atque ardua tendens
Impiger, haud aliter pede certo incedat, aperti
Quam ſi animi cauſa decurreret aequore campi.
Stayanae elocutionis mira felicitas, Qui potuit, patrio quae vel ſermone putaſſes
Quenquam apte effari vix poſſe, efferre canendo;
Aggreſſus (a) doctrinae adytis incluſa ſeverae,
Primus ad ingenuos Muſarum educere cultus.
Et elegantia. Cujus tam dulce eloquium, tam daedala fandi
Vis eſt, & tanta ubertas, ut mentem animumque,
Ni ſamiae a vero diſtarent ſcita palaeſtrae,
Svaviloqui credas in eum immigraſſe Lucreti.
Leges motus exponuntur a Stayo. Ille igitur (b), facili exponet tibi carmine leges
Aeter-

(a) Verſiculi duo ex ipſo Stayame Philoſophiae exordio deſumpti, qui ſatis materiae, quam verſu exponendam atque adeo exornandam Stayus ſuſcepit, difficultatem declarant.

(b) Magnificentiſſimum hoc de Benedicto Stayo judicium, non amicitiae (neque enim tanti Viri poeta noſter amicitiam unquam coluit) ſed perſpectae doctiſſimi hominis ac ſummi Poetae virtuti omnino tributum eſt. Ediderat Romae Stayus jam inde ab anno 1747. Philoſophiam Carteſianam, elegantiſſimis lucretianis verſibus expreſſam, atque id effecerat, quod quidem non niſi ab homine ingenioſiſſimo fieri; ſed aliquo tandem modo fieri videbatur poſſe. Affinitas quaedam, quae Philoſophiam Carteſianam inter & Lucretianam intercedit, viam quodammodo muniebat, qua poſſet incedi; atque alte impreſſa praeeuntis Lucretii veſtigia perſequi non ita difficile ac laborioſum erat, ut de conficiendo vel longiſſimo atque aſperrimo itinere deſperandum omnino foret. Nevvtonianam vero Philoſophiam omnino

Aeternas motus leges, quibus omnia parent
Corpora; seu recto procedant limite, sive
Obliquent callem, seu tendant concita sursum,
Seu prolapsa ruant deorsum; aut quo denique cunque,
Pro varia impulsus varii ratione, ferantur
Acta modo, atque adeo in gyrum contorta rotentur.
Inde retrusa animo subiens, penitusque reposta
Arcana indagans motus, momentaque certa, *Motus varii.*
Et paria imparibus numeris, lapsusque fugasque
Expediet revocans sua quaeque ad jura; reflexos
Et distinguet item motus, tardosque, citatosque,
Aequis

nino novam, tot poene insuperabilibus difficultatibus obseptam, tot obscurissimis Algebrae penitiorisque Mathematicae mysteriis involutam, abditam adeo atque a communi sensu remotam non tentare modo; sed exponere, explicare, eleganter, poetice, &, quantum rerum obscuritas patitur, perspicue efferre, id est hujusmodi, ut omnem paene humani ingenii facultatem superet. Jure igitur ac merito poeta noster suum interponens de tanto opere judicium, cui quidem ego quoque libens & idem plane sentiens subscribo, merito, inquam, totum hunc ornatissimum locum concludit his versibus, *Tale opus aggressus, cui par nec prisca vetustas, Vidit, nec simile adveniens mirabitur aetas.* Jam vero quae cursim hac in digressione delibat auctor de legibus motus, de motuum ipsorum multiplici varietate, de sectionibus conicis, de ellipsi, hyperbola, & de parabola (quam circumscribit; neque enim quantitatis & metri ratio *parabolam* carmine includi patiebantur) aliaque hujusmodi, habes fuse a Stayo ipso tractata in Philosophia sua Nevvtoniana, quam Romae edidit an. 1760. Quod autem hic poeta Stayum adhortatur, ut opus absolvat, scito, jam diu opus esse ab ipso confectum, & solum Boscovichii enarrationes exspectari; cui quidem optandum esset ut aliquid otii ad eas exarandas suppeteret, ne diutius absoluta atque perfecta tanti operis editio differretur.

Aequis temporibus, vel iniquis; ipsa locorum
Componet spatia inter se, & dimensa notabit.

Penitiora Mathesis penetrat Stayus.

Nec satis; ima magis, magis & secreta penetrans,
Aeternisque parans, Rogere, intexere chartis
Ingenii monumenta tui, ac miranda reperta,

Boscovichianũ systema illustrat.

Rursus inextensi totius corporis ipso
A motu, puncti motum secernet, eundemque
Exiget ad spatium puncti cujusque peractum.

Motus oppositos conciliat.

Quid? conspirantes quod eodem in corpore vires
Efficiet? medium (*a*) quae affectant, quaeque recedunt
A medio, & tendant quanquam in contraria, tollet
Dissidium tamen omne, & conciliabit amice,
Ex aequo spatium & nisum partitus utrisque.

Difficultate operis non terretur.

O quoties summa rerum asperitate Camoenae
Suspensae haeserunt, indignantesque labori
Abnuerunt conferre manus! non segnior ille
Pergit, & Aonias nequidquam pensa Sorores
Dura recusantes cogit parere, morasque
Increpitans tardas, omnes contendere nervos,
Et magnis adigit secum una insistere coeptis.
Ergo *arcus chordasque*, & describentia curvos

Motus pendulorum.

Pendula (*b*) persequitur tractus; ipsum quoque *conum*

Sectiones conicae.

Aggressus contemplatur, perque omnia versat;

In

(*a*) Nomine *medii* centrum intellige; hoc enim vocabulo centrum a Lucretio appellatur.

(*b*) Vox *pendula* non substantivo, sed adjectivo modo hic usurpatur. Supple igitur *corpora*. Qui quidem loquendi mos latinis Scriptoribus ac praesertim Poetis non est inusitatus.

In partesque suas dissectum ingentibus aptat
Usibus. Hinc illae grajo de nomine dictae
Formae consurgunt, *Ellipsis*, *Hyperbola*, nec non
Quae medium sortita locum tenet inter utranque.

Ellipsis, Hyperbola, Parabola.

Sed quid ago? aut ubi sum? quae mentem insania vertit?
Quove feror? mene haec conari attingere versu?
Tene sequi ut possim? & vel commemorare canoris
Quae tu elata modis Musarum insignibus ornas?
Parce ah! parce ausus si sum tentare, quod unus
Et potes, & facis, & soli concessit Apollo;
Tale opus aggressus, cui par nec prisca vetustas
Vidit, nec simile adveniens mirabitur aetas.
Quare age; & auspiciis & tanto numine Phoebi,
Viribus atque tuis fretus da vela patenti,
Da pelago, & totos fidens immitte rudentes;
Nulla procellosi facies maris aspera quando,
Nullae te syrtes terrent, non caeca retardant
Saxa, nec infesti per turbida caerula venti.
Perge alacer, donec praeter maria omnia vectus
Optato tandem possis considere portu,
Atque triumphali puppim redimire corona.
Mi sat erit brevibusque vadis, & littora propter
Cymbam agere, & tuto vicinas radere terras.

Judicium auctoris de Stayano opere.

Adhortatio ad opus absolvendum.

Sed jam, quae restant dictu minus ardua, paucis
Expediam; properans festino accedere cursu
Nimirum; quo me paullum de tramite dulcis

Reditus ad propositũ.

Ille-

Illectum abduxit sonus & jucunda voluptas.
Explicantur attractiones, & repulsiones, Ergo iterum tibi naturam propone minutis
Constantem globulis mirae virtutis, & illos,
Corpora collidunt cum se se adversa, repulsus.
Hinc facile expedies, cur tenvia multa videri
Possint, & correpta trahi, & procul acta repelli.
Scintillae, Jam quocunque modo succendi aspexeris ignes,
Et cita cum multa jactari fulgura luce,
Seu globus in gyrum volet actus, sive catenae
Obtuleris digitum, aut palmam subjeceris; ictus
Incursusque tibi varios propone globorum;
Et subito exortos minime miraberis ignes.
Crepitus, Quod si raucisonum murmur, crepitusque sequatur;
Ne longe arcessas tibi quam violentia causam
Ipsa dabit; teretes quae scilicet impete magno
Ejaculata globos, clausum ciet aëra; & una
Accensam explodit resonanti murmure flammam,
Quae radiis oculos, feriat stridoribus aures.
Plagae, Sin tibi membrorum molles convellier artus
Senseris, & tremulo jactari brachia motu;
Fac tecum reputes, quanto se se impete virtus
Insinuet; teneros, quae dum subit improba, nervos
Concutit & textas exili stamine fibras.
Hinc tremor, hinc sensus, motu quassante, doloris.
Redditur causa propagationis virtutis electricae. Postremo, cum se vis in longinqua propagat
Una ignem plagamque ferens; causam exhibet ultro

Ipsa

Ipſa tibi ſeries non interrupta globorum .
Illi perpetuo tractuque , atque ordine longo
Stant ſecum haerentes . horum ſi impellitur unus ,
Non tibi continuo vis diſperit indita motus ;
Sed , qui pone ſubit , propellit fronte prioris
Terga globus ; tum , qui ſequitur , protrudit & urget
Vicini latus ; & ſic deinceps alter ab ictu
Truditur alterius . nec vero tendere motus ,
Obſtent ni ſpatio longa intervalla relicto ,
Feſtinans ceſſat ; donec , qua dat via ſeſe ,
Directo totum decurrat limite callem .
Atque haec ſufficiat curſim libaſſe ; probantur
Quae ſi forte minus , contra nil pugno ; licebit , *Hactenus ſyſtema Labordii.*
Quod tibi collibitum fuerit , ſtatuas ; modo praeſtans
Ingenium laudes , magnis non invidus auſis .
Sed me felici nova machina (a) ſtructa labore *Progreſſus ad cymbalum electricum deſcribendum.*

(a) Laudatus Labordius novum cymbali genus, quod *electricum* appellat, & re vera eſt, invenit, atque adeo perfecit, tanto artificio elaboratum , ut profecto inter inſigniora aetatis noſtrae opificia recenſeri merito debeat . Sed praeſtat admirandi operis auctorem de ſuo ipſum opere loquentem audire . Epiſtola enim ab eodem ad PP. Trevoltianos data 15. Junii an. 1759, & quae, prima poſt praefationem libri hac de re Pariſiis , ut ſupra diximus, in lucem editi anno 1761. , legentibus occurrit , haec habet, quae nos hic ex longiore epiſtola excerpta , & ex gallico idiomate in italicum fideliter converſa , ſubjicimus ;

Una verga di ferro iſolatà sù due cordoni di ſeta ſoſtiene de' campanelli di differenti toni . Ogni due uniſoni formano un tono . Uno di queſti è ſoſpeſo dalla verga per un fil di metallo , l'altro per un cordoncino di ſeta ; fra loro vi cade il battente ſoſpeſo per un fil di ſeta eſſo

Jamdudum vocat; & concentibus aëra complens
Non prius auditis & dulcisono modulatu,
Intentasque aures intentaque lumina poscit.
Artis opus mirae, & vix enarrabile textum,

Dae-

esso pur dalla verga. Dalla campanella sostenuta dal cordon di seta discende un fil de metallo, l'estremità del quale è fermata da un altro cordon di seta, e termina in un anello per ricevere una piccola levetta di ferro, che riposa sopra una verga di ferro isolata. Così essendo disposte le cose, il campanello sostenuto dalla verga per un fil di metallo viene elettrizato dalla verga, che lo sostiene, e l'altro, che pende dalla medesima per un cordon di seta, viene elettrizato dall'altra verga di ferro, su cui riposa la picciola leva. In abbassando un tasto si alza la picciola leva, e si fà giungere alla verga non isolata. Nel momento di questo contatto il battente fra i due campanelli respettivi si mette in movimento, e con tal celerità percuote tuttidue i campanelli, che si ascolta un solo suono. Tornata che sia la leva a riposare sulla prima sua verga isolata, si ferma il battente, e non siegue nuovo suono. Così riuscendo a ciascun altro tasto, è chiaro come si possano sonare sù questo cembalo tutte le arie, che sonar si sogliono sopra un'organo.

Ha questo avvantagio di più il nostro nuovo cembalo, che nell'organo toccato che sia il tasto, il suono ancorchè duri seguendosi a tenere abassato il tasto, sempre indebolisce; ladove nel caso nostro si conserva nel primiero vigore.

Huc usque Labordius. Verum, neque admirabilis cymbali opifex verbis ipse suis; neque poeta noster, quanquam versu exponere rem longe difficilimam aggressus, eam, solita sua perspicuitate usus, oculis paene subjiciat; neque vero meis ego adnotationibus quidquam conabimur efficere, quod Lectoris intelligentiam admodum juvet, nisi alia quadam ratione, quae unica est, quaque opportunior excogitari nulla potest, totus hic locus illustretur. Quare necessarium omnino duxi exactam cymbali discriptionem in expressa figura exhibere, qua proposita fiet, ut res ipsa certius & facilius intelligatur, & poetae nostri in extricanda re adeo implexa perspicuitas & felicitas magis elucescat.

Daedala non certet quocum ſollertia ; pennas
Ignotas homini dederit licet , & labyrinthi
Struxerit ambages indiſcretoſque meatus .
Hic perfecta acri mirabere cymbala cura
Impulſu reſonare novo ; eductamque rotato
Virtutem vitro , numeris ſervire coactam
Suſpicies . Jam tanti operis deſcribere partes ,
Vatem quando fides adigit promiſſa , neque ultra
Egregium artificis patitur differre laborem ;
Eloquio quantum , (modo nunc nec idonea verba ,
Nec me deſtituant aegrae in conamine tanto
Ingenii vires) potero contendere , dicam .

Exponitur conſtructio cymbali electrici.

Difficultas hujus deſcriptionis.

Ferrea principio bombycum ſtamine virga
Utrinque extremis innexis partibus , alto
Sic demiſſa tholo , ut librato examine lancis
Pendeat in morem , media ſuſpenditur aula .
A virga porro recto vocalia tractu
Pendent aera , ſonum ſed non reddentia eundem .
Senſim decreſcunt , & decreſcentia reddunt
Quaeque ſuum pro mole ſonum . ſubmiſſus , acutus
Editur , & gravis , & medii quicunque ſonores
Intervalla tenent ; variarum ut nulla requiras
Seu ſeptem , ſeu plura velis diſcrimina vocum .
Sic deſcripta autem ſunt aera ſonantia , bina
Ut ſint mole pari ; ſpatio tum deinde relicto ,
Succedant alia atque alia ; & ſic limite longo

Virga ferrea pendens

Aera tinnula pendent a virga.

Decreſcunt mole.

Spatium interjectū aera dividit.

Aequali ſubeant numero, ſed mole minora.
Vinculorũ diverſitas. Bina igitur diſcreta modo, quo diximus, aera
Pendent, & medio librantur in aëre; ſed non,
Quod caveas, eadem nectuntur vincla duobus,
Unum demittunt Serum de vellere fila,
Alterum at illaqueant e lento ducta metallo.
Inter aera malleus ſuſpenditur. Malleus haec inter ſuſpenditur, atque ab eadem
Innexus pendet virga; ſed ferreus ipſe
Non niſi bombycum molliſſima vellera poſcit,
Aureaque adſtringi ſibi gaudet vincula Serum.
Jam demiſſa ſuis ſunt aera ſonantia vinclis,
Muta tamen; medius deſcendit malleus, ictus
Ille quidem ad certos promptus, ſi juſſeris; at qui
Neutram, vi reſidem nondum impellente, movetur
Concitus in partem, tacita ſuſpenſus in aura.
Nunc faber inde ſonum qua demum callidus arte
Excierit, dicam. Conſertis pegmata tignis
Ardua conſtruxit, quibus armamenta ciendo
Apta ſono, & numeris nituntur idonea certis.
Conſtructio pegmatis ciendo ſono accomodati. Qua tibi directo ſurgentia pegmata trunco
Et terga obvertunt, & pars poſtica recedit;
Ferrea non longe demittitur altera virga,
Altera virga demittitur. Aptaque nexilibus bombycum & pendula nodis.
Plurimus incumbit virgae longo ordine vectis
Ferreus, opperiens impulſum, quique moveri
Erigitur facilis premiturque; ut certa requirunt

Jura

Jura ſoni, digitique jubent parere micantes.
Poſtremo accreſcens alia his quoque ferrea virga *Tertia virga pegmati affigitur*
Additur, haec autem innecti ſibi nulla repoſcit
Vincula; nimirum quam ſuſtentacula tignis
Projectu exſtantem producunt ferrea juſto.
Virgarum hic porro eſt ordo. Supereminet alte *Ordo virgarum.*
Prima, & malleolos & tinnula ſuſtinet aera;
Altera ſuccedit, tignis quae fixa reſiſtit;
Inferior faciles ſuſtentat tertia vectes.

Jam vero innumeris praetextum eſt cernere filis *Filorum multiplicitas.*
Aëra, quae vario ductu partim aerea, partim
Serica, & a virga ad vectem, atque a vecte retrorſum
Ad virgam, tum ad malleolos, & ad aera feruntur.
Quorum multiplicem ſeriem ſi forte requiras,
Idem ſcire velis quot fila intenderit, & quot
Stamina pectinibus diſcreverit illa Minervae
Aemula; cum tenues variaret ſedula telas,
Atque intertexto illuſas diſtingueret auro.
At non hic, quo juſſa modo mirabilis aura
Per fila irrepens ſubeat, dociliſque modorum
Fiat ad arbitrium, ſonus unde cietur, omittam.

Pegmata qua frontem venienti adverſa tulere, *Series aſſerculorum vulgo la taſtiera.*
Perpetuo tractu, multa prius arte polita,
E nigro perfecta ebeno, aut candenti elephanto,
Atque inſpicati in formam conciſa tigilli,
Nec non ad nutum, & certos ſalientia certo

Impulſu ad numeros tibi ſunt aſſercula (*a*) praeſto.
Hic ſeſe exercet, digitiſque micantibus errat
Crebra manus; pernix nunc huc, nunc tranſilit illuc;
Et cita ſollicitat trepido exſultantia motu.

Quomodo aura electrica ad aera derivetur.

Accipe nunc quo calle meet, quo tramite tendat
Aura potens, cieatque ſonum. Tubus aëre pendet
Non procul in medio; retinent bombycina Serum

Vehiculum aurae electricae.

Pendentem fila. aura hoc derivata canali
Inſinuat ſe ſe virgis illapſa duabus;
Ordine quae prima eſt, illam tranſmittit habendam
Vocali, nectunt quod vincula ahenea; porro
Altera, quod nodus ſubnectit ſericus, aeri.
Tum reſono quod vincla ligant bombycina ab aere
Materia ductum filum deſcendit eadem;
Excipit hoc aliud flaventi e ſtamine Serum,
Et nodo adſtrictum vectem deducit ad imum.
Deductum vecti nexu illigat annulus arcto.
Hac iter eſt aurae, calle hoc contendere juſſa,
Illa celer per fila means evadit ad aera.

Hac

(*a*) Non temere vocabulo hoc uſus eſt ad explicandam tigillorum ſeriem, quae cymbali partem illam conſtituunt, quam italico idiomate *la taſtiera* appellamus. Hoc idem vocabulum legitur aput Catonem de Re. R. cap. 12.; quod quidem ſi quis minus poeticum judicabit, is hercle hujus ſuae opinionis probabilem rationem fruſtra afferre contendet. Nam, quod vocem aliquam Poetae minime uſurparint, non idcirco vocem illam minime poeticam eſſe certo inferri poteſt; tum quia non omnia Poetarum opera exſtant, tum quia non de rebus omnibus Poetae ſcripſerunt.

Non tamen ullus adhuc ſonus editur; incita nempe
Aura potens deducta tubo, pendentia utrinque
Imbuit aequatis expleta vaporibus aera.
Verum ubi docta manus vario incipit excita pulſu
Exſultim feſtina volans trepidare, & eodem
Impulſu ad numerum ſaliunt aſſercula; ducto
Ad vectes eadem filo ſimul atque premuntur,
Continuo vectis ſuſtollitur, atque ſecundae
Aeratum approperat filum conjungere virgae;
Quo tactu, reſono, filum quo pertinet, aeri
Continuo perit aura; a virga ſcilicet ipſa
Interverſa alio; neque enim hanc retinacula Serum
Suſpendunt, illam neque ſerica vincla coërcent.

Ratio cur nondum ſonus edatur.

Ne vero ne te ſubita haec diſpendia turbent,
Sollicitumque habeant; hoc acrius exere totas
Ingenii vires; intentius omnia luſtra,
Tecum aurae diverſa notans momenta fluentis.
Nempe hinc, quod mirere, ſoni arceſſitur origo.
Nam dilapſa alio tibi cum ſubtilior aura
Jam non ex aequo bina imbuat amplius aera,
Hinc fit, inaequali momento ut concita tendat
Illuc procurrens, unde excidit; atque ita ab uno
Effluat e geminis juxta pendentibus aere,
Inque aliud de more fluens refluenſque feratur.
Hoc tibi procurſu ſimul expergiſcitur anceps
Malleus in medio pendens, ſimul incipit, aurae

Aurae diſpendiũ non officit.

Aurae inaequalitas ſonum gignit.

Aurae impulſu movetur malleus.

 Dum

Dum facilis refluum citroque ultroque meantis
Subſequitur curſum, jactari creber; & uſque
Aſſiduis utrinque citus ferit ictibus aera,
Dum rurſum, impulſu vectis ceſſante, reſidat.
Aura aequalitati reſtituta, ceſſat ſonus. Ut ſidit; ſimul, unde fugax defecerat, aura
Reſtituit ſe ſe; ſimul utraque lancibus aequis
Imbuit illabens, expletque vaporibus aera.
Illa ſilent, medius neque malleus amplius ullam
In partem, procurſum aura cohibente, parique
Momento vires iterum exaequante, movetur.
Evenit hoc, quoties verſo citus ordine vectis
Conſtantia effectus. Alternans motus ſurgitque caditque viciſſim.
En perfecta ſuis tibi daedala partibus omnis
Machina jam conſtat, certo quas ordine ſollers
Diſpoſuit, miraque opifex contexuit arte;
Unde ſonum, eventu nunquam fallente, cieret.
Ratio concentus. Nam digitis ſi conſentit, docilisque moveri
Obſequitur vectis, reſponſant vectibus aera;
Atque ſimul varium varia pro mole, minorem
Majoremve ſonum alternis tinnitibus edunt;
Non eſt praeterea cur quidquam tute requiras
Ad numerum; neque cur dubites, quin cymbala reddant
Concentum quemcunque velis; modo callidus artem
Noris, & ad juſſas ſaliat manus utraque leges.
Specimen cymbali captum Pariſiis. Gallia prima viri tantum mirata laborem,
Artemque ingeniumque, & commemorabile dextrae
Sol-

Sollertis suspexit opus; qua regius amnis
Lutetiam ad magnam vitrea pulcherrimus unda
Labitur, & mediam findens interluit urbem.
Et vero, articulis pernicibus excita certos
Ut primum ad numeros resonantia cymbala vocem
Emisere novam, cantusque arguta dedere;
Sequanicas imo fluvii sub gurgite Nymphas
Accepisse sonum, vitreisque sedilibus omnes
Exsiluisse ferunt. stetit agmen, & alma sororum
Hinc atque hinc longo praetexuit ordine ripas,
Capta rei novitate cohors. quin Sequana ab altis
Excitus ipse pater glaucum caput extulit undis,
Insuetumque melos arrectis auribus adstans
Ebibit, attonito similis; tum denique, ut ingens
Excussus stupor, atque sibimet redditus ipse est,
Intendens vocem & rorantia tempora quassans,
Auctor es, o quicunque, inquit (nam te haud ego nobis
Externum reor esse) reperti talis, & artis,
Invento (a) laetare tuo; est cur Gallia jure,

Expectationem vicit.

Gallia

(a) Hoc inventum nolim credas ex eorum genere esse, quae ingeniose quidem ab Auctoribus excogitata, ad usum vero traducta plerunque exspectationem fallunt. Etenim hujusmodi inventum eventu suo non caruit, neque exspectationem fefellit; immo vero cymbalum ipsum, cum Parisiis esset Boschovichius, audisse se, & solertissimi operis artificium Auctori, ut par erat, gratulatum esse, poetae nostro testificatus est.

Gallia felicem tanto ſe jactet alumno .
Sic genitor; plauſum natae excepere frequentes ,
Et late feſto ſonuerunt littora plauſu .



ELE-

ELECTRICORUM

LIBER V.

SED jam tempus eo repetentem exorſa reverti, *Reditus ad Theoriã Franklini.*
Longius unde abii, & varios revocare repertae
Protinus eventus ad certa exordia cauſae.
Ac primum miro ſecum hic conſtare videbis
Omnia concentu; nihil hic occurret, apertum
Quod vel claudat iter, vel te remoretur euntem.
Tranſgreſſae ſalebrae; jam victa obſtacula, jamque
Se pandit molli declivis ſemita calle.
Nempe illum veri ſatis haud mirabere morem, *Veri indicia.*
Conatus fortuna tuos ſi juverit, & te
De ſummo facilis Sophia aſpectarit Olympo;
Nam ſimul atque illud deprenderis, omnia ad unum
Reſpondent; primis extrema, noviſſima primis,
Conſenſu ſummo, variarum major ut ulla
Haud eſſe inter ſe poſſit concordia rerum.
Sponte ſua tibi cuncta fluent; non arte coacta,
Non vi detorta. at ſiqua improviſa, repente,
Inter tentandum, erumpant; abſiſte vereri,
Ne te pervertant, curamque inopina faceſſant.
Haec quoque convenient, & conciliabis amice

Cum

Cum reliquis, quorum jam certa exſtabit origo.

De minimis non laborandum. Nec vero, ſiquid levioris ponderis apte
Conſentire minus tibi forte videbitur, hoc te
Quidquam commoveat; ſatis eſt ſi pleraque belle
Conſpirent ſecum, & rerum capita ardua conſtent.

Ergo ades, & miri ingenium, vireſque repertas
Fac tibi proponas fluctus; his ante notatis
Quo nam quidque modo fiat, quae cauſa quibuſque
Eventis ſubſit, dabitur cognoſcere; nec te
Amplius eludet fallacibus abdita ſignis.

Electio & genus corporum diligenter cōſideranda. Atque hic in primis, noſtrarum ſumma caputque
Quod rerum eſt, quaenam contendere corpora ſecum
Juſſeris, attentus meditare, & quod genus illis
Sedulus explora. Quae primum nacta, recuſant
Oblatos fluctus; contra ſortita ſecundum
Quae genus, adſciſcunt ultro, penituſque recondunt.
Nec plura. Edoctus mihi jam ſatis, eja age ſegnes
Rumpe moras; atque accedens qua machina ſurgit,
Praecinctaque ſedet vigil Experientia palla,
Intentos oculos confer per ſingula; quando
Supremam poſcunt ſibi jam ſpectacula curam.

Derivatio fluctus electrici explicatur. Continuo, volvente rota, diſcluſus ad auras
Vitreus erumpit torrens; bibit inde catena,
Quos nempe a prima non hauſit origine, fluctus.
Nec ſe ſe in vacuum poterit diffundere, & alto
Diſperſus late caelo vaneſcere torrens

Exun-

Exundans (prohibent nimirum ſerica fila
Non exſucca genus (*a*)); nec idem ſortitus eandem
Naturam tibi non praeſtat circumfluus aër.
Mirandos ideo Serum bombycina ad uſus
Vincula prae reliquis optamus. Jam aeque lentae
Eſt ratio diverſa picis, ſubſternere ſuemus
Quam plantis, tripodem cum ſcandimus, atque catenam
Sublimes manibus nexam de more tenemus.
Labentes etenim quoque pix objecta moratur,
Nec temere injuſſos patitur prorepere fluctus.
His veluti adjectis concluſa canalibus arcte
Sublabens virtus conſtringitur, avia nequa
Diffugiat, certaque fluens ſine lege vagetur.

Effectus præſtitus a filis ſericis,

Et a pice.

Jam vero, delectu habito, quaecunque catenae
Corpora malueris ſubnectere, concita virtus
Imbuet illabens, certoque interluet aeſtu.
Hoc directa modo, atque ſuo jam tramite tendens,
Te quoque confeſtim fluctu irrorabit eodem,
Si lubeat tenſam dextra tenuiſſe catenam;
Plenius ipſa quidem, fuerint ſi ſubdita plantis
Serum, vel phrygio quae leveris unguine, texta.
Quorum ſi pariter genus exploraveris ante,
Eventum minime ignarus miraberis, & ſe
Non dubia illapſus certi cauſa offeret ultro.

Corpora catenae adnexa irrigantur.

Qui catenam tenet, fluctu perfunditur.

Nam,

(*a*) Hoc eſt ab origine electrica, quae nimirum fluctum electricum minime combibant, ac proinde ejuſdem fluctus curſū ac derivationē non intercipiant. Notandus eſt Helleniſmus; nempe non exſucca ſecundum genus.

Ratio hujus irrigationis. Nam ; quos rejiciunt , phrygio cum glutine , Serum
Vellera (quippe genus primum ſortita) , ſecundum
Nacta genus , fluctus animantum membra receptant .
Plenius hinc manans bibulos vis influit artus ,
Nec ſe ſe aut ſuperas diverſa effundit in auras ,
Aut ſublapſa ſolo diſperſa elabitur imo .

Similiter qui ſubeŭt perfunduntur eodem fluctu. Jamque licet longo circum vacua atria gyro
Succedant alii atque alii , ſi forte coronam
Implicitis malint per mutua nectere palmis .
Nec mora ; decurrens a te , qui ſerica calcas
Ordine texta prior , curſu rapidiſſima eodem
Feſtinat virtus , quo tendere coepit ; & inde
Largius extemplo ſitientes immadet artus ,
Atque redundanti totus perfunditur aeſtu ,
Subjectam de more picem , vel ſerica texta
Qui poſt cunque premit, dextramque amplexus inhaeret.

Redit eadem ratio. Fluctus enim vitro ſemel excitus , aëre quando
Reſpuitur ; quando neque pix , neque vellera Serum
Pervia ſunt illi , via qua patet unica , nexas
Per dextras molitur iter ; nec deſinit , uſque
Lubricus ubertim plenis decurrere rivis ,
Dum totam irriguo perfundat rore coronam .
Sic paucis prima repetens ab origine , fluctus
Non interciſam ſeriem manantis habeto .

Repetitur derivatio a ſua origine. E vitro , tanquam nativo e fonte (*a*) , ſub auras
Attri-

(*a*) Hic locus intelligendus eſt juxta adnotationem ad verſ. 2. pag. 58. lib. 2.

Attritu multo & rapida vertigine adactus
Erumpit primum ; tum ferrum exceptus amicum
Imbuit ; imbuto rursus fluit ille redundans
A ferro , & quotquot succedunt ordine longo ,
Innexique manus consertaque brachia secum ,
Proluit ; a primo exorsus delabitur , inde
Inque alium atque alium irrepit ; nec tendere cessat
Donec ad extremum devenerit ; atque ita demum
Omnes ex aequo , membris infusus , inundet .

Nec quamvis idem magnis accessibus auctus ,
Exundans alio poterit divertere , quam quo
Jusseris . id curant nimirum corpora primo
Lecta tibi e genere ; ut sunt & bombycina fila ,
Et picis illyricae gluten . tu his utere , quando
Ne qua parte times vagus effluat . ille coactus
Obvia sublabens simul irrorabit eundo ,
Quae tu cunque voles ; simul & quo jusseris ibit .
Idcirco in primis genus exploramus , & acres
Non nequidquam oculos intendimus , anne suapte
Corpora sint nobis natura *electrica* , contra
Anne alio e genere , & speciem sortita secundam .
Hoc quoque , tu quoties mutari corpora , secumque
Aut haec , aut potius praeceperis illa coire ,
Providus anteveni , & genus inspectare memento .
Tum vero faciles metato tramite partem
Derivabis agens malis quam in cunque , nec ultra

Ratio certae derivationis affertur.

Genus corporum observandū.

Ten-

Tendere praefcriptum juffos mirabere fluctus .
Ni caveas , operam perdes ; & non modo certo
Non poteris dociles fluctus deducere calle ,
Sed ne figna quidem confueta extundere ; Tantum
Noftra haec delectus momenti ad munera confert.

Generalis vatio phaenomenorum affertur.

Nec vero hoc ipfum te res non ipfa docebit ,
Si paullo advertas rationum ad pondera mentem .
Lecta etenim e fpecie fumas fi corpora eadem ,
Sive genus fuerint primum , feu nacta fecundum ;
Attritu quamvis multo fuppofta fatiges ,
Nil tamen efficies , operamque locabis inanem ,
Nequidquam exfpectans plagas crepitufque fonantes ,
Et fubitas edi , turba plaudente , favillas .
Nam cur (*a*) , fi fpeciem fuerint fortita fecundam ,
Corpora follicites ? quid porro extundere demens
Inde velis ? ubi deeft tibi prorfus idonea virtus ,
Nimirum in noftros quae prodeat excita lufus .
At vero praelata aliis fi corpora primum
Nacta genus fuerint ; certe hic quaefitaque virtus
Non deerit , poteritque exciri forte fub auras .
Sed quo vel fubito excitam , largeque fluentem
Derivabis agens ? quod corpus fcilicet olli

Ejuf-

(*a*) Hic locus ita intelligendus eft ; electrica quidem virtus , feu potius fluctus electricus his in corporibus ineft , fed perinde ac fi nullo modo ineffet ; neque enim fecundi generis corpora quidquam efficere poffunt , nifi in contentione corporum primi generis ; unde auctor hujufmodi corpora mirae virtutis prorfus expertia effe vere affirmavit .

Ejuſdem generis perges opponere ; ab ortu
Quam ſibi virtutem natura infudit, eandem
Reſpuet, oblatamque ſinu exceptare negabit.
Quare, cum nequeat quoquam contendere certo
Derivata tibi virtus hic tramite, nil eſt
Jam reliqui ; niſi in incertum ut diverſa feratur
Hac illac ſine lege fluens ; ac denique prorſus
Vaneſcat caelo, tenuis ceu fumus, aperto.
Diſce igitur variare genus. ſic excita virtus
Certius erumpens miros prodibit in uſus.
Quod poteris, toties iteratis, noſcere ſignis.

Genus corporum variandum.

Sed jam ſignorum cauſas exponere praeſtat,
Unde tot exſiſtant vario diſcrimine luſus,
Innumeraeque vices & tot miracula rerum,
Quae te ſuſpenſum tenuere, ac multa putantem
Hactenus, & dubiae tribuentem plurima ſorti.
Atque hic praecipue juvat inſpectare fluentis,
Quod jam praemonui, momenta alterna vaporis,
Utrum ſtagnet iners, an quoquam pondere vergat ;
Illa etenim nunquam non edita ſigna ſequuntur.
Atque haec ipſa quidem caelo manifeſta patenti ;
Sed quae, ni caveas, cauſa latitante, moleſtam
Haud raro injiciant tibi non bene cognita curam.

Cauſae ſignorum afferuntur.

Vaporis momenta expendenda.

Fiet enim interdum, ut, quanvis & limite juſſo,
Et delectu habito, ſtatuas duo corpora ſecum,
Quaeſita incaſſum conere extundere ſigna.

Cur nulla interdū ſigna edantur.

Hoc non idcirco, quia ſignis apta ferendis
Deſit materies, atque hic vivacia prorſus
Semina virtutis tibi ſint eliſa potentis;
Sed quia librati jam neutra parte vapores
Exſuperant; &, quae ſecum contendere pergis,
Aeque interfuſo ſunt uvida corpora fluctu.
At vero, reſides nova vis ſi forte vapores
Exciat, incipient illi decurrere rurſus;
Rurſus & incipient ſe nota oſtendere ſigna.

Cur interdum aliquot tantum.

Nonnunquam, quanvis & idonea tempora captes,
Lectaque conſtituas juxta ſe corpora, ſignis
Fiet ut elicitis aliquot, tibi plura negentur,
Hoc quoque non ideo, quod & hic exhauſta fluendo
Deficiat penitus tibi virtus; ſed quia *centrum*
Illa iterum jam nacta ſuum compoſta quieſcit.
Ergo prius tecum reputa, quo pondere vergant
Arcani fluctus; utrum in contraria motu
Ancipiti nutent, anne aequo examine neutram
In partem inclinent. tum protinus abdita rerum
Se ſe harum oſtendet ratio; nam foedere juncto

Signa alternant fluctu alternante.

Signa quoque alternant fluctu alternante; viceſque
Hinc illae exſiſtunt, quarum deprendere certam
Haudquaquam is poterit cauſam, qui neſciat ante
Diverſa alterni fluctus momenta notare.
Tu vero haec acri ſi contemplabere cura,
Et vigil humorum a natura intenta liquentum

Lumi-

Lumina praemonitus minime deflexeris; unquam
Non te ſignorum cauſa indeprenſa latebit.

Atque haec de ſignis generatim. Singula porro
Signa tibi quae cauſa edat, nunc accipe; rurſus
Dum recolo jam dicta memor, ſervataque, retro
Incedens, eadem te per veſtigia duco.

Singulae cauſae ſingulorum effectuum afferuntur.

In primis ne parce alio, ſi poſtulet uſus,
Et res ipſa ferat, te vertere; nec tibi praeſens
Quaerere ſubſidium, poteris quodcunque, recuſa,
Et modo pro variis eventibus aëre ab ipſo
Adjumenta pete; ad geminas modo confuge vires,
Et quae disjungunt, & quae conjungere tendunt
Corpora, ſubſidiis tum demum inſtructior iſtis
Nil non expedies; rebus neque enim unica ſemper
Cauſa ſubeſt; plures concurrunt ſaepe, & eoſdem
Foetus conjunctis inter ſe nixibus (*a*) edunt.

Subſidia quaedã aliunde petenda.

Plures cauſae ſaepe concurrũt.

Ac ſe jam nobis prior igneus ordine, multa
Spectandus cura, vapor offert, unde micantes
Exſiliunt flammae, & rapida tot fulgura luce.
Has autem flammas ne crede ignemque creari,
Qui nullus foret ante tibi, aut certa ſine cauſa
Accenſum aethereas ſubito prodire ſub auras,

Cauſa ſcintillarũ expromitur.

 Scili-

(*a*) Potuiſſet ſcribere *viribus*, quod metri ratio patiebatur; multo autem rectius atque elegantius, cum vocabulum foetus praeceſſiſſet, ſcripſit *nixibus*. Nixus enim ſpeciatim ſignificat conatum illum ac laborem, quo partus editur. Virgilius eadem voce & eodem ſenſu uſus eſt, cum Georg. lib. 4. verſ. 199. de apibus ſcripſit; *aut foetus nixibus edunt*.

Scilicet ignitis hunc vel vapor ipſe miniſtrat
Seminibus conſtans, vel clauſum corpora venis
Ipſa ſuis abdunt, & certa ad munera ſervant.
Plurima ſic duri ſilices abſtruſa recondunt
Semina flammarum, quae demum prodere multis
Evicti plagis noſtros coguntur in uſus.

Impetus cauſa flammarum erumpentium.

Quod facit in ſilice (*a*) crebrae violentia plagae,
Cogat ut explicitas vinclis prodire favillas;
Hoc in corporibus noſtris facit impetus ipſe,
Excita quo virtus attrito e corpore rumpit,
Aut eadem inſinuans objecta in corpora tranſit.
His animadverſis, ratio prius abdita rerum
Multarum nunc emergit; ſeu fulgere cernas
Obducta auratâ conclavia caeca papyro;
Seu videas rutilas ardere per aëra guttas;
Sive alia ejuſdem generis, ſpectanda tuentum
Ludicrae objiciunt oculis quae plurima flammae.

Cur flammae erumpant e papyro inaurata.

Nam, circumducta gyro ſinuante catena,
Una etiam tortos agitur deflexus in orbes
Fluctus, & objecto confeſtim proſilit auro;
Cui ſeſe inſinuat dum quo ſolet impete, ſecum
Aut rapit eductas, aut ipſo cogit ab auro,
Dum ſubit, abſtruſas extra prorumpere flammas.

Erum-

(*a*) Caeſuram adhibendi facultas, a veteribus Poetis jure ſuo uſurpata, auctori noſtro negari minime videtur poſſe; cum praeſertim ea parce admodum utatur; ſubſequentibus vero ſtatim duabus conſonantibus multo juſtius concedendam illi eſſe arbitramur.

Erumpunt illae, & caecum per inane micantes
Illustrant nitidis totum conclave favillis.
Non alia est ratio, medio cur cymba catino
Dum natat undanti, flammas & fulgura crebra
Evibret obtentu virgae, quam plurima fluctu
Imbuerit miro virtus. has impetus idem,
Ne dubita, has flammas & fulgura sufficit, auro
Objecto, nuper qui flammis lusit & igni.
Hinc insistentis tripodi, dextraque tenentis
Suspensam & multa gravidam virtute catenam,
Percurrunt corpus flammae, quas suscitat ipse
Sopitas fluctus, dum prosilit atque propinquo
Insinuat digito; qui circumlatus oberrat
Dum varias partes foeti jam corporis, inde
Ipse etiam expressas, fluctu erumpente, favillas
Elicit, & totum perfundit lumine corpus.
Hinc quoque concipiunt subitas funalia flammas,
Atque improvisa per noctem luce coruscant;
Hinc etiam expressae phrygia de veste favillae,
Quam multo illusam sollers manus ambiit auro,
Obtentu erumpunt virgae; subitarius ignis
Hinc & districti tibi prodit acumine ferri;
Nec non flamma vorax hinc dulcem accensa liquorem,
Adstantum turba multum ridente, ligurit.
Quid sequar ulterius? gravido de corpore ferme
Inclusus nunquam paullo violentior extra

Cur e navicula.

Cur e corpore catenam tenentis.

Cur aliis ex corporibus.

Corporis obtentu ingenita virtute carentis
Exigitur fluctus, ſubitos quin excitet ignes;
Aut quos educit ſecum prodire coactos
Corporibus, proprios aut quos habet igneus ipſe.

Unde exſiſtant venti, crepitus, & plagae.

Verum non flammis tantum ſtipatus & igni
Conſpicuus multo ſuperas emergit ad auras
Fluctus; ſed comites etiam ſecum evehit una
Plagaſque crepituſque, & mollia flamina venti.
Horum autem ne finge procul, longeque putato
Eſſe arceſſendam tibi cauſam; proxima quando,
Atque eadem ferme eſt flammarum ac cauſa ſonorum.

Redditur ratio venti & crepitus

Fluctus enim nunquam ſuperas non exit in oras,
Non modo quin flammas, ſed quin etiam aëra clauſum
Corporibus cieat, ſecumque emergere cogat;
Unde licet veram certo deprendere cauſam,
Cur ſubiti erumpant reſono cum murmure venti.
Quod quo percipias melius; non plurima deſunt,
Ad quae ni pigeat modo paullum advertere mentem;
Ipſa dabunt ſpecimen vulgo jam cognita certum.

Stipulis ardentibus vēti & crepitus excitantur.

Aſpice. demeſſas ubi contudit area fruges,
Vix ſiccis ignem ſtipulis ſubjecit arator,
Continuo exoriens accenſos ventilat ignes,
Et longe reſonat flammis crepitantibus aura.
Ut clauſus ſtipulis ſuccenſo extruditur igni
Rareſcens aër; quo rareſcente moventur
Excita confeſtim ventorum flamina, & illi

Diſ-

Dissultant crepitus; sic nostris abditus idem
Aër corporibus dum fluctu extrusus, & igni
Commixtus multo, superas erumpit ad oras,
Suscitat argutos resonanti murmure ventos.
Aspice item, angustis cum pressa canalibus unda,
Imparibus modulis, multa vi concita sursum
Prosiliens, altum rapido petit aethera jactu,
Constrictus si forte tubis includitur aër,
Ipsa etiam erumpit crepitu disclusa sonante.
Idem quippe aër spatiis arctatus iniquis,
Et simul extrusus salientis ab impete lymphae
Raucisonos edit lympha erumpente susurros.
Quae cum sic habeant; ventos comperta sonoros
Quae det causa vides. compressus scilicet extra
Rarescens quoties per vim protruditur aër,
Cum sonitu erumpit toties; ventosque repente
Suscitat, & rauca commotus sibilat aura.

Lympha e tubis saliens ventos & crepitus ciet.

Nunc vero ad plagas quod pertinet; hic neque causam
Sepositam tibi finge procul, longeque petendam.
Ipsa etenim has infert plagas violentia, fluctus
Qua subit insinuans, tenerosque irrumpit in artus.
Fit via vi; praefracti aditus reserantur, & una
Se se intro, cuneis veluti per corpus adactis,
Fluctus agit, fodicatque cutem, nervosque lacessit.
Laeduntur molles inflicto vulnere nervi;
Nec non & gracili intextae subtemine fibrae

Redditur ratio plagarum.

Violentia fluctus nervos convellit.

 Per-

Perculſae ſaliunt ; ſalientibus impete fibris ,
Artubus inde tremor ; ſenſus venit inde doloris .
Quo vis major , eo gravior plaga ; acrius icta
Membra tremunt , totoſque idem tremor occupat artus
Non ſine praeſentis certo diſcrimine lethi ,
Plurima ſuſcepti ſi quando copia fluctus
Non ſenſim admiſſa , at cumulo violentior ipſo
Intima pervadens tentantum irrumpat in oſſa .

Diverſae flammarum formae exponuntur.

Sed tibi nunc varias locus eſt exponere formas
Flamma unde accipiat ; cur ſe modo fingat in aſtri ,
In faciem coni modo ſe componat acuti ,
Diverſos eadem gaudens oſtendere vultus .
Jam coni ſive in ſpeciem , ſeu ſideris , ignis
Prodeat ; in primis , ſocias quae corpora ſecum ,

Formae corporum obſervandae.

Sedulus obſerva , & qua ſint ea praedita forma .
Praecipue pars illa tibi ſpectanda ſagaci
Cura , mirandos qua committuntur ad uſus
Frontibus adverſis ; variae certiſſima formae ,
Illius formae , quam nobis objicit ignis ,
Ducitur hinc ratio . Cum prodit acumine ferri ,
Excipiturque manu , in conum ſe colligit ignis .

Cur flamma in conum aſſurgat.

Scilicet igniti multum exporrecta vaporis
Ad ſe ſe trahit ipſa manus ; baſis ignea palmae
Subjectae inſidens paullatim attollitur , & ſe
In rutilum fingit coni tenuantis acumen ,
Et multo illuſtris late fulgore coruſcat .

At

At contra obtuso si ferro corpus acutum
Subjicias, non flamma dabit tibi lucida conum;
Exilem tantum radiis languentibus ignem
Apparere vides pallentis sideris instar.
Non igitur nitidum radianti vertice conum
Emergens tibi flamma dabit; quia nempe trahens vis
Cuspidis objectae neque tantum agit, ac neque tanta,
Quanta manu, exprimitur flammantis copia fluctus.
Adde quod erumpens supposta cuspide, non est
Ignis ubi exceptus consistat, & area nulla
Sternitur apta basi statuendae. hinc fulgere tantum
Exiguas cernes minimo splendore favillas.
Collecti coëunt radii, tenuique micantes
Lumine longe aliam a cono accepere figuram;
Et speciem parvi objiciunt spectantibus astri.
Hoc pacto cultus nunc hos, nunc induit illos
Ignis amans varias oculis obtendere formas.

Cur flamma sideris speciem exhibeat.

Ac jam dicendum (quod te super omnia miro
Perculit ostento, dubiumque ac multa timentem
Liquit) quae rapidum tibi vis contorqueat ignem
Fulminis in morem, e media seu prodeat unda,
Seu vitrea erumpat violento turbine quadra.
Juverit huc iterum expositam revocare fluentum
Naturam humorum; neque enim res ulla latentem
Ostendet nobis causam manifestius. Ergo
Rursus inundantem, subitisque accessibus auctum

Quadra Franklini, & phiala Batavica explicātur.

Am-

Amnem fac tibi proponas . illum aſpice moles
Sternentem objectas , importantemque ſupremam
Arboribuſque ſatiſque , unda ſuperante , ruinam .
Unde illi tantus furor & violentia tanta ?
Unde ? niſi immani a cumulo ; hinc ſe non capit ipſe
Spumeus , exſuperans ; violento hinc gurgite moles
Oppoſitas ruit , & ſubjecta effuſus in arva
Largius exundans ſata laeta boumque labores
Perdit , & obducto late premit omnia limo .
Non alio noſter pacto diſcluditur ignis ,
Ac neque diverſam ob cauſam tantas capit idem
Vires ; cum media tibi ſive egreſſus ab unda ,
Seu vitrea e quadra humanos illapſus in artus
Percellit valido tentantum corpora motu .

Cumulus materiae electricę ageſtus violentiam auget.

Nimirum igniti multum attrahit unda vaporis
Ad ſe , clauſa ſcypho ; multum vitreae trahit aurum
Inductum quadrae . vires vapor igneus ipſe
Concipit a cumulo majores ; nec mora confert
Illa parum , qua confeſtim , ſi jam ante notata
Non animo exciderunt memori , intentare vetamur
Aut phialae , aut quadrae digitum . tunc copia major

Quo major cumulus eo major violentia.

Aggeritur fluctus ; qui quo magis auctus , eo ſe
Impete majori exonerat , ſubitaque ruina
Fertur , & objectos vehementius influit artus .
Exterior pars quippe ſcyphi , quam ſubdita tangit
Dextera , deperdit quantum , pars altera tantum

Inte-

Interior, fluctus acquirit, & inter utrasque
Ingens discrimen non aequo pondere partes;
Quas medium dirimit vitrum. discrimine verum
Appulsu digiti sublato, qua via facta
Protinus erumpit vitri interiora relinquens
Fluctus, & irrepens filo nexaque catena
Per digitum insinuat membris, & concutit artus.
Hinc furor, hinc rapidi tanta est violentia fluctus,
Fluctus, sive velis flammatum hunc esse vaporem,
Fulminis in morem praeceps unde ardeat ignis.
Prorsus idem, ne te morer, & per singula ducam,
Ad vitream tu met prudens extendito quadram.

Et vero, si forte scyphus; vel vitrea quadra
Excessere modum, & ventrem turgescat in amplum
Ille, atque huic facies sit latior; acrior inde
Flamma ruit; cujus tantum violentia, vitri
Pro majore modo, quod ad hos elegeris usus,
Intendi poterit, nihil ut tibi verius ipsos
Exprimat elisos gravidis de nubibus ignes,
Sollertique hominum jam cura imitabile fulmen.
Ac, ne forte putes me nunc confingere vana;
Cum totum rauco misceri murmure caelum
Sentis, & crebris incendier aëra flammis
Circunquaque vides; quot sunt vasto aethere nubes,
Tu vitreas totidem quadras ardere putato.
Indicio est illud, quod tempestatibus atris,

Violentia fulminis prope ad quatur.

Atque

Virga ferrea nimboso caelo eosdem ac machina electrica effectus edit.

Atque polo rapidis late bacchantibus Euris ,
Ferrea (*a*) sublimi tibi si de culmine tecti
Educta aetheras virga extollatur ad auras ,
Non ulla arcanae virtutis signa requires ;
Non resonos crepitus , non lucida fulgura , non &
Altius inflictos flammis ultricibus ictus .

Digressio per praeteritionē de electricitate , quam vocant, caelesti & naturali.

Atque equidem , ni jam vicinum palmula littus
Stringeret , ac terrae festinem adnare propinquae ,
Latius aëriis eadem ut dominetur in oris
Vis , canerem , & densa nimborum in nocte coruscas
Succendat flammas , trifidosque intorqueat ignes ;

Fulmina.

Quoque modo in terras de summo fulmina caelo
Praecipitent , contraque e terris acta ferantur
In caelum ; siquando Jovem irritata tonantem
Ops adversa petat , paribusque assistat in armis .

Tonitrua.

Nec vero , tantum cur perstrepat axe , silerem ,
Murmur , cum rapido cava nubila Jupiter igni
Dividit , & trepidas sternit formidine gentes
Horribili quatiens terrasque polumque fragore .
Ac neque discordes tacuissem ut caerula postquam

Miscue-

(*a*) Celeberrimum experimentum saepe in Italia, atque alibi etiam extra Italiam captum , & rei certissimo eventu confirmatum ; unde confici videtur , omnia phaenomena caelestia ad electricam virtutem tanquam ad veram eorundem causam posse revocari . Horum phaenomenorum bene longam seriem contexit auctor sequenti digressione ; sed quae , ut ait , notum Virgilii hemistichium exscribens , *aliis* , longe majori ingenio praeditis , *post commemoranda* atque adeo versibus exponenda *relinquit* .

Miſcuerunt venti, & feſſas toto aequore naves
Jactarunt, ſupra antennas effulgeat ignis, *Ignes ceſſante tempeſtate apparentes.*
Aut malo inſideat, nautis gratiſſimus ignis.
Nec mora; ſedantur venti, ſilet arduus aether,
Et mare compoſitis pacatum detumet undis;
Tum repetunt curſum tranquilla per aequora puppes,
Votaque defuncti tanto diſcrimine nautae,
Ut portus tetigere rates, in littore ſolvunt
Fratribus Oebaliis, & caeruleae Amphitritae.
Nec me praecipua ſectantem ſingula cura,
Liberiuſque polo gaudentem excurrere aperto
Tunc fugerent reliqua, innumeris vapor igneus idem *Fugiſſent.*
Quae toto parit axe modis; neque enim ulla pererrat
Vis late aëreas caelo vehementior oras,
Ulla nec immenſo tantos ciet aethere motus:
Haec ſubitas caelo nocturno tempore flammas
Succendit, rutiloſque facit ſplendeſcere tractus
Aëris; haec ſtellas (*a*) fervente aeſtate refigit.
Aethere praecipitant illae, caudaſque ſequaces *Ignes nocturni aeſtivo tempore.*
Ducunt a tergo, & ſylvis conduntur in altis.
Haec gravidas denſat nubes, pluviaſque niveſque

Con-

(*a*) Stellarum nomine poeta intelligit vapores illos, qui in proximiore aeris regione, quam Phyſici Atmoſpheram vocant, nocturno tempore accenduntur. In hoc Virgilii exemplum ſequutus eſt, qui vapores eoſdem eodem uſus vocabulo *ſtellas* appellavit; Georgic. lib. 1. verſ. 365. *Saepe etiam ſtellas vento impendente videbis Praecipites caelo labi.* Hoc idem jam ſupra lib. 1. adnotavimus.

Pluviae & venti. Congerit; atque ipsos, cum vult, e carcere ventos
Evocat Aeolio, claustrisque emittit apertis;
Quo mare, quo terras, quo caelum turbine perflent,
Aurora borealis. Ipsam quin etiam gelidi de parte Bootae
Fulgentem auroram (*a*), atque illustri luce tenebras
Obscuras atrae vincentem noctis, eandem
Non secus ad vim, atque ad primordia certa referrem,
Verum haec ipse quidem spatiis disclusus iniquis
Extremi sub finem operis metamque laborum
Praetereo; nec me cujusquam tanta potestas,
Unquam adiget; nec vos, pubes lectissima (*b*), ad Urbem
Sub-

(*a*) Cum originem Aurorae borealis virtuti electricae tanquam causae adscribit Poeta, id non facit ex proprio sensu, sed opinionem Gregorii Victorii, supra libro primo a se laudati, refert, qui in sua, quam elegantissimis versibus exposuit, Philosophia eam sententiam a se excogitatam insinuat.

(*b*) Collegium Germanicum atque Hungaricum indicat a S. Ignatio Romae fundatum, Romanorumque Pontificum, & praesertim Gregorii XIII. liberalitate ac munificentia constitutum. Hoc vero Collegium quantum laborantibus olim Religionis causa Germaniae atque Hungariae, totique Septentrioni praesidio fuerit, non solum ipsius Collegii monumenta, sed illarum gentium annales docent. Ex eo innumerabiles Viri, & doctrina, & sanctitate, & defendendae propagandaeque Catholicae Fidei studio insignes, & praecipuis in universa Germania Hungariaque sacris muneribus, ne summa quidem S.R.I. Electoratus dignitate excepta, egregie functi, prodierunt. Horum longissimam seriem non subtexam, propterea quia ab instituti mei suscepta ratione id abhorreret; quippe qui brevibus adnotationibus opus hoc illustrandum, non prolixis commentariis explendum receperim. Illud vero tacere nullo modo possum, quod litterae hoc ipso anno, 30. Martii ad Collegium a Maria Teresia Hungariae & Boemiae Regina datae loquuntur, quae, cum in re quapiam Collegio ipsi gratificari vellet, id liben-
ter

Submittit quos Hungaria & Germania, Sacris
Praesidio Ausoniis ornamentoque futuros,
Quique has consuestis summis extollere nugas
Laudibus, ulterius fessum procedere, quam quò,
Quos mihi praestitui, patiantur tendere fines,
Quare vicini prospectans otia portus
Haec ego nunc aliis, si quos vehementior alto
Ardor agat caelo, impellatque accedere tantas
Naturae ad partes, versu exponenda relinquo.

Nunc autem alterno motu cur corpora rapta
Ad tensum accedant ferrum, cur pulsa recedant,
Quod sequitur, pergam certas exponere causas.
Hic iterum moneo, quod jam te saepius, ante
Corporibus, vigil observa, quod sit genus, & quo
Delecta e cumulo; reflui tum denique fluctus
Naturam, variumque sagax expendito morem.
His prius expensis, certa & ratione notatis,
Nunquam, hos eventus quae gignat proxima causa,
Indeprensa aciem eludet, falletque latendo.

Affertur causa cur accedant corpora & recedant.

Genus corporum iterum notandum.

Arentes igitur paleas plumasque volantes,
Atque alia ejusdem generis, quae plurima cernis

Quare corpora accedant ad catenam.

Saepe

ter se facere his ipsis verbis affirmavit; *Ma perchè riconosciamo l'istituzione del detto Collegio molto vantaggiosa alla Chiesa, ed a' nostri sudditi, volendo noi usare di un' atto della religiosa nostra pietà non meno, che della reale nostra propensione verso del medesimo, vogliamo &c.* Porro nobilissimorum hujus Collegii contubernalium singularem erga se benevolentiam Parthenius noster semper expertus est; quare, captata occasione, hanc sui erga eos & obsequii & grati animi testificationem exstare voluit.

Saepe iterare viam, cum lanci imposta catenam
Confestim versus consurgere rapta videbis,
Non aliunde tibi causam censeto petendam,
Quam genere ex ipso, quo praedita corpora constant.
Scilicet urget eò primo sitis indita ab ortu
Unde bibant riguos, quos non ab origine, fluctus,
Longe aliud sortita genus speciemque, tulere;
Quorum larga illis quando est oblata facultas,
Extemplo ad gravidam cursu properante catenam
Tendunt, & ferro fibris sitientibus haerent.
Quare recedant. Post ubi manantis tantum suxere vaporis,
Sucta tenere modum, quantum natura quibusque
Indulget, proprio tum pondere victa recedunt
A ferro, & depressa cadunt, & lance recumbunt.
Quare iterum saliant. Quod vero saliant iterum, ferroque propinquent,
Ne mirere; eadem causa & sitis urget ad haustus
Usque novos; potu reparatur scilicet, acri
Non minus ipsa siti quod lanx supposta laborans
Continuo exsugens absorbuit; atque ita nunquam
Cessabunt varii motus, reditusque abitusque,
Ipsam inter lancem & salientia corpora donec
Epotus nulla de parte exuberet humor.
Ad eamdẽ causã multa experimenta revocantur. Hic vero non est quaeras cur multa doceri
De genere hoc, quorum tibi jam certissima causa
Ex dictis manifesta patet. sic nanque venire
Ferme usu solet, ut, detecto fonte, statim se

Osten-

Ostendant, quotquot decurrunt inde fluentes,
Quanquam intercisi vaga per divortia, rivi.
Ergo, praetentam si virgam cymba sequatur
Acta velut remis, aut alite concita vento;
Pendenti ferro si succedente puella
Confestim arrecti surgant in vertice crines
Bacchantum in morem; ostenso si bractea vitro,
Dum fluit ad terram, a lapsu prohibetur, & ipsum
Ad vitrum tendit, depressaque pondere rursus,
Si rursus vitro objecto revocatur, & unde
Exciderat redit; ac demum si plurima pacto
Consimili tentare libet, speciemque genusque
Si tantum explores, eadem causa usque recurret.

Quod si extricandis tibi forte videbitur impar
Una tot eventis, ne segnis parce trahente
A vi subsidium praesens arcessere; virtus
Quippe trahens adjuncta siti, qua multa laborant
Corpora, quae videas crebros iterare recursus,
Subjiciet stimulos, & corpora certius illo
Diriget, impellit quo jam sitis indita. multi
Hinc porro eventus pendent, hinc discere multa
Possumus, & certas consulti reddere causas.

Vis trahens multum juvat.

Verum praesidii quantum sperare trahente
A vi te jubeo, tantum veto fidere, teque
Illi, quae fertur contraria, credere; quanquam
Signa repellentis virtutis plurima cernas;

Vis repellens nihil confert.

M Sed

Sed quae, si recte advertas, fallacia tendant,
Ut jam praemonui, incautos pervertere sensus.
Quare, quod saepe edixi, atque edicere pergam,
Signa repellentis quoties mendacia se se
Virtutis spectanda dabunt, momenta remensus
Si toties reflui fluctus expenderis, illa
Non te decipient, dabiturque evadere fraudes.
Nam gravido quaecunque vitro se adjungere, foeto
Videris aut ferro; haudquaquam, cum pulsa recedunt
In speciem, tibi re ipsa abiguntur corpora; sed vel
Sponte abeunt satura, aut proprio depressa residunt
Pondere, quod vero rursus salientia itusque
Et reditus iterent; id causae scilicet esse
Ne dubita, quod labentis momenta vaporis,
Atque relabentis correpta sequantur; & inde
Exsultent, variosque ineant trepidantia motus.

Signa virtutis repellentis falsa sunt.

Affertur vera causa apparentis repulsionis.

His animadversis, non est cur amplius illa
Suspensum teneant animum, curamque facessant,
Ignarus causae quae mirabare latentis;
Seu tibi demissum molli de subere pondus
Sponte sua curvos describat in aëre tractus;
Tinnula sive edant, nullo pulsante, canoros
Aera sonos; seu contorto fila arida lino
Ultro diduci, inque vicem discedere cernas;
Multaque praeterea, quae convenientia eadem
Cum dictis specie, ad causam revocabis eandem.

Multa experimenta ad eamdẽ causam referuntur.

Ergo

Ergo repellenti virtute abſiſtere juſſa,
Quandoquidem noſtris nil confert uſibus, huc te
Vim dilatantem ſuadebo arceſſere, multa
Quippe eadem expediet, quorum depromere cauſam
Ordo ipſe & rerum ſeries nunc admonet, a me
Ne quid praeteritum ſiet, indictumque relictum.

Vis dilatans multa praeſtat

Fluvida materies cum nobis plurima mira
Spectanda exhibeat, tum in primis illa videntur
Pene omnem ſuperare fidem, ſuſcepta mederi
Quod morbis (a) poſſit. Verum ſi vivida quam ſit,
Quam ſit ſubtilis, reputes, fortaſſe putari
Haudquaquam poterit tantis eventibus impar.

Experimenta tertiae claſſis exponuntur.

Sin autem vis dilatans acceſſerit, unde
Acquiratque novum robur, parteſque, cohaerent
Siquae concretae pigro lentore, reſolvat;
Tum minime dubium, quin morbis apta domandis
Sit, quorum vis omnis in id confertur, ut artus
Innectant miſeros, nec non contagia dira,
Callibus obſtructis, foveant; unde exitus atris
Seminibus pateat morborum aditusque ſaluti.

A vi dilatante ſubſidium arceſſendum.

Tales ſunt podagrae, ſunt talia rheumata, tales

Affertur ratio cur podagrae,

M 2 Mul-

(a) Quae multa ſane admiranda de ſalubri fluctus electrici vi ſub finem libri ſecundi ab auctore commemorata ſunt, & quorum hic affertur ratio, paſſim occurrunt in diverſis Scriptoribus, qui his de rebus peculiarem tractationem inſtituerunt. Vide quae ſupra adnotavimus lib. 2. ubi clariſſimi Pivati auctoritate & certiſſimis experimentis ſalutiferae virtutis electricae proprietates confirmantur.

Multae hac de ſpecie peſtes. has ſcilicet alte
Et alia morborũ genera ſanari poſſint. Inſinuans virtus, & ſerpens corpore toto,
Obſeptaſque ingreſſa vias agit undique victrix.
Nec mora; diducto reſerantur calle meatus,
Solvuntur condenſa pigroque tenacia viſco,
Et multis concreta modis, diſcreta liquantur.
Tum vero quidquid ſulcos oblimat inertes;
Quidquid ſtagnat iners, longiſque inolevit ab annis,
Exigitur. quin ipſa malae quoque ſemina labis
Saepe exſtirpantur, foribuſque abiguntur apertis.
Cur podagrae & rheumata ſolvantur. Inde ſalus quaeſita redit, vigor inde repente
Aegris corporibus; podagraeque & ſueta ligare
Artus diſruptis ſolvuntur rheumata vinclis.

Ne vero oppoſitos eadem quin gignere poſſit
Effectus dubites; etenim hoc perſaepe videmus
Pro rerum diverſo habitu contingere; & ignem
Durare argillam, qui ceram mollit, eodem
Et fieri non pauca modo. ſic rhemata ſolvit
Cur paralyſis curetur. Quae tibi vis, eadem reſolutos alligat artus.
Nimirum obſtructos reſerans excepta meatus
Vitalem inducit patefacto tramite ſuccum;
Hoc autem tacitis fuſo per corpora rivis,
Omnis abit nervis tremor, & nutantia membra
Accipiunt reduces firmo cum robore vires.
Item cur plantae citius adoleſcant. Inde etiam, tenues vi dilatante canales,
Unde humor plantis, & nutrimenta per omnes

Imo

Imo educta ſolo funduntur didita ramos,
Fiet uti citius medicato e ſemine ſurgens
Creſcat, & ad caelum felicius exeat arbos.
Nam quod condenſam laceret violenta papyrum
Virtus, e media cum truditur excita quadra;
Et quod item inſinuans adductae caeca relaxet
Spiramenta cutis, fluat unde animantibus humor
Largius, & totos exundans proluat artus;
Non adeo ſuperare fidem cenſenda, negari
Ut poſſint, quando ipſamet Experientia teſtis
Eximit ancipites dubio de pectore ſenſus.

Experientia multa confirmantur.

Sed quoniam multis, harum quae copia rerum eſt,
Multa modis fiunt, promptum quoque ab aëre noli
Spernere ſubſidium tibi quaerere; ſcilicet aër (a)
Non raro opportunus adeſt, nec tanta recuſat
Ipſe ſuas ultro conferre ad munera vires.
Et modo ſubmiſſis arte, & ſalientibus undis
Infert ſe medium, & late diſpergere rorem
Gaudet, & in rutilas lympham diducere guttas.
Nunc erumpentis tibi curſum intercipit ignis;
Et crebras adigit flammam jactare favillas,

Aeris ſubſidium non recuſandū.

Multa praeſtat aer.

M 3 Diſtri-

(a) Jam ſupra libro tertio, multis argumentis eorum opinionem, qui aerem phaenomenorum electricorum cauſam eſſe contendunt falſitatis convicit auctor. Non igitur aer, ut recte hoc loco affirmat, harum rerum cauſa eſt, ſed varias tantum, quas vocant, modificationes rebus ipſis inducit, unde diverſi eventus pro diverſa ratione corporum, quae machinae objiciuntur, ſpectantium oculis exhibentur.

Diſtricti ſummo cum prodit acumine ferri.
Saepe etiam crepitus & ſibila murmura, ſaepe
Non exſpectati ciet idem flamina venti.

Non tamen eſt cauſa horum effectuum.

Denique ſponte ſua multis eventibus aër,
Ille quidem tenui ſubtilis corpore, ſe ſe
Immiſcet; quorum quanvis non proxima cauſa
Sit; tamen immutat non pauca; oculoſque tuentum
Propoſitis varia rebus ſub imagine ludit.

Serenitas caeli expetenda in capiendis experimētis.

Quod ſupereſt, caelo cur tentamenta ſereno
Dent melius ſe ſe, madidis quam flantibus Auſtris,
Nimboſoque polo, dicam. Genus aëris ante
Eſt explorandum, quem, quos ab origine prima
Sorte tulit, vitreos non exceptare vapores
Jam docui; atque hic in primis meminiſſe neceſſe eſt.
Jam vero, gelida Boreas digreſſus ab Arcto
Deſcendat, caeloque incumbens nubila difflet,
Et rapido aëreos everrat turbine campos.
Continuo, quidquid ſuperas aut terra ſub auras
Eructans vomit, aut ſurſum evocat attenuans ſol,

Affertur ratio.

Exigitur; fugiunt una, quae plurima caelo
Nare externa ſolent, vitreoſque haurire liquores
Corpora nata genus; vitro vis fluvida manat
Plenius irrorans bibulam ſublapſa catenam,
Totaque in eventus conſumitur excita miros.
Clarior inde micat lux, & vibrantior ictus
Percellit digitum, & crepitus magis inde ſonantes.

At

At contra, imbriferis caelo ſpirantibus Auſtris,
Illa eadem, nuper quae toto exegerat axe
Inſurgens Aquilo, ſubito importuna regreſſu,
Ut Scythiam ſemel ille ſuam, Rhodopemque reviſit,
Corpora turmatim accurrunt, atque omnia complent,
Pendenti ferro vitroque affuſa rotanti.
Non ſecus autumni cum tempore dulcia fervent
Muſta, atque exundat plenis vindemia rivis;
Ilignis videas circum ſe fundere labris
Ingentem culicum (a) numerum; jam dolia, jamque
Obſedere cados; caelum ipſum obducitur atra
Praetextum late nebula. volat acta per orbem
Turba bibax, & eo redit uſque, atque uſque bibendo
Inſtat, & avelli caris nequit ebria coſtis.
Hoc prorſus pacto, quae dixi corpora denſis
Agminibus coëunt vitreos potura vapores;
Quorum illis quando eſt non interdicta facultas,
Largius indulgent potu ſitientia, & acrem,
Qua licet uſque, ſitim repetitis hauſtibus explent.
Interea ſenſim vis fluvida deſit; & inde
Segnior evadit, pluvioque remiſſor Auſtro.
Idcirco caeli faciem ſpeculantur, & omnes

Particulae externę immiſtae aeri multum officiunt.

 Explo-

(a) Diverſae culicum ſpecies diſtinguuntur ab Auctoribus, qui peculiarem rerum naturalium diſquiſitionem inſtituerunt, inter quos & vinarii, de quibus hic ſermo eſt, recenſentur. Paullo infra vocabulum *coſtis* translate uſurpatur, & de lateribus dolii intelligendum eſt. Virgilius de conſtructione equi trojani loquens Aen. lib.2. v.16. ſic habet; *ſectaque intexunt abjete coſtas*, & lib.7. v.463. *coſtis undantis aheni*.

Explorant ventos, & idonea tempora captant;
Nec quidquam innubi nisi caelo, atque aethere puro
Suscipiunt; ne forte irrisi aut plurima tentent
Incassum, aut aliquid laetis successibus obstet,
Quod spectatorum turbam frustretur hiantem.

Certa vera indicia.

Atque haec quaesitae cum sint certissima causae
Indicia, est porro cur nunc laetere reperta.
Nonne vides, ut cuncta inter se, ut singula secum
Constent? ut recte procedant omnia, nexuque
Apta alia ex aliis descendant? ut nihil angat,
Et dubiam ancipiti turbet formidine mentem?

Ex dictis reliqua facile conficiuntur.

Haec reputans animo tecum, creberque volutans,
Haud aegre poteris per te deducere certis
Principiis reliqua, & veras deprendere causas.
In praesens, mihi proposui quod scilicet unum,
Sit fontem monstrasse satis, digitumque roganti
Intendisse; unde eventis primordia tantis,
Certaque virtutis mirae repetatur origo.

Digressio.

Nimirum haec abstrusa diu, atque incognita vulgo;
Nec minus incassum multo quaesita labore,
Aethereas demum nostra hac aetate sub oras
Prodiit e mediis in lucem educta tenebris.
Usque adeo nihil (*a*) est tanta caligine pressum,

Quod

(*a*) Hoc sententiose non minus, quam vere dictum arbitror ab auctore. Multa enim prorsus ignorata a veteribus, nunc vulgo cognita sunt; & vero summo cum emolumento cognita, propter ea, quae in publicam

Quod non longa dies, caecis mortalibus, almum
Sufficiens lumen, discussis detegat umbris.
Quare age, & ingentes animos hinc sumere disce;
Disce hinc adversus te confirmare latentis
Naturae morem. Nimirum obscura videri
Illa fugit, latebrisque procul secreta recedit.

Omnia diuturnitate temporis illustrantur.

Verum esto, latebras amet, occultosque recessus
Quaerat, & abstruso colat invia lustra cubili;
Esto caligans affusaque plurima circum
Nox denso obnubat nostras velamine mentes,
Ingeniique hebetet visus, aciemque retundat.
Non tamen audendum minus est; tenuissima primum
Qua forte in tenebris se lux ostenderit, illuc
Tendendum; tum siqua viâ spectra, horrida spectra,
Terribiles visu formae atque immania monstra,
Scyllaeque Sphingesque, & Gorgones Harpyiaeque
Occurrant; animis opus est & pectore firmo.
Discendum dubiis melius confidere rebus,
Nec flectenda ideo vestigia retro; at in iisdem
Perstandum incoeptis; dum caelo advecta sereno
Dissipet offusas tempestas clara tenebras.

Naturae ingeniũ latendi.

De felici rerum exitu non desperandum

Et vero ex ipsis lux improvisa tenebris
Non raro emergit, solemque optata reducit.

Repentina rerum conversio in melius.

Nec

blicam utilitatem commoda sane multa redundarunt. Quare praeclare subjicit poeta, non esse animo desperandum, sed animum ipsum contra adversa omnia confirmandum. Fit enim persaepe, ut momento temporis facile assequaris, quod frustra longa molitione contenderis.

Nec mora; nox trepidis procul evolat horrida pennis,
Diffugiunt umbrae, vanescunt spectra; neque usquam
Dilapsa in tenues apparent amplius auras.
Jamque color, jam forma redit, jam pristina rebus
Gratia, & infuso late omnia lumine rident.

Pro diversa humoris temperie diversi motus animi.

Ipsae, quae variis alternant motibus, ipsae
Vertuntur species animorum; nostraque magnos,
Conversa in melius rerum vice, pectora sensus
Concipiunt; hinc nescio quo succensa calore
Praeter consuetum fervent praecordia; menti
Attonitae subitus furor incidit; aestuat intus,
Nec se jam capit ipsa; adeo vis ignea totis
Serpit agens se se venis, & pectore gliscit.
Non expectato successu laetior ardens
Exsultatque animus, majoraque viribus audet.
Audentem fortuna juvat. Quin saepe furore

Repentina causarum cognitio.

Ecce tibi in medio, atque animi exultantis in aestu,
Longe aliud spectanti, & quidquam haud tale putanti
Conspicuam se se, claraque in luce videndam
Ipsa offert claustris ultro Natura reclusis.
Apparent adyta, & penetralia caeca patescunt;
Apparent causae & secreta exordia rerum.

Poetae vaticinium.

Scilicet adveniet tempus (*a*), vincentibus omnia
Inge-

(*a*) Multa persequitur hoc loco poeta, quae certissime affirmat fore, ut ab ingeniosis & gnavis hominibus inveniantur. Verumtamen non pauca earum rerum, quarum enumeratio instituitur, ejus naturae sunt, ut

Ingeniis hominum, & duro ſuperante labore,
Cum multa, obſcuro quae nox obnubit amictu,
Atque etiamnum ignota latent, patefacta ſub auras
Erumpent tandem, & caelo oſtendentur aperto.
Nomine tum proprio diſtincti quique Cometae (*a*)
Et certo numero, certis & finibus altum
Obliquos per iter tendent deſcribere gyros,
Metirique vagi longe ſpatia ultima caeli.
Tunc faciem extremo oſtendet Saturnus (*b*) ab orbe
Difficilis viſu, neque adhuc bene cognitus ulli.

Numerus & motus planetarum definientur.

Multa de Saturno de tegentur.

Nimi-

ut omnino illarum certa cognitio deſperanda ſit. Quare hujuſmodi vaticinium magis ad poetici ingenii indolem arbitror eſſe confictum, quam ad prudentem rerum futurarum conjectationem exactum; & quanquam auctor affirmet, Phoebum nequaquam ſinere Poetas eſſe mendaces, bona cum auctoris venia, futurum omnino arbitror, ut vatem mendacii, ſaltem quod aliquas hujus vaticinii partes, quas ego, contra vaticinans, eventu carituras pronuncio, poſteritas coarguat.

(*a*) Cometas ignes non eſſe temere in aere accenſos, & infortuniorum praenuncios, ut vetus ferebat opinio; ſed caeleſtia corpora, qualia Planetae ſunt, nunc in comperto eſt apud Phyſicos omnes. Quod vero Cometarum omnium numerus iniri, & curſus definiri poſſit, rem valde arduam eſſe Aſtronomi putant, praeſertim, cum Cometae rariſſime appareant, quippe qui per immanes & valde excentricas ellipſes caelo ferantur. De Cometis legatur clariſſimus Halleyus, qui Cometarum omnium, qui ad ſua uſque tempora apparuerunt, numerum collegit, orbitas accurate deſcripſit; & Cometam illum celeberrimum, qui anno 1757. viſus eſt, multo ante praenunciavit. Multa de Cometis eleganter more ſuo ſcripſit Stayus *Philoſophiae* lib. 4. verſ. 971. & ſequentibus; multo plura in ſupplementis ad eandem *Philoſophiam* diſputat Boſcovichius.

(*b*) Saturnus, uti omnium Planetarum a nobis remotiſſimus; ita etiam, Aſtronomorum obſervationibus maxime eſt impervius. Hinc recte notat auctor, multa de hoc Planeta etiamnum ignorari.

Ignotum prorſus nunc eſt, omneſque feſellit
Hactenus obtutus, utrum teres orbe rotundo
Ille ſit, an geminis ſuſpenſus pendeat anſis.
Nec minus ignotum, quo circumcluditur, orbis
Lumine conſpicuus multo, ſit ne annulus, anne
Exigui medium gyro ſtipante Planetae
Accipiant numero denſo, vallentque frequentes.
Falcipotens adeo Deus, & male numen amicum
Avertit ſe ſe a nobis, refugitque videri.

Multa itē de Luna. Quid Lunam? (*a*) terris quae quanquam proxima, multa
Celat adhuc; ſed quae tandem deprendet acutos
Exacuens oculos vigil Obſervatio. jamque
Detecta ut circum caligo eſt plurima Solem (*b*),

Quae

(*a*) Multa adhuc de Luna ignorantur, quae hic ab auctore commemoratá, poetice quidem efferuntur, ſed ita, ut quid auctor indicare velit, quivis facile intelligat. In LunaeTheoria conſtituenda hactenus incaſſum laborarunt Aſtronomi. Nevvtonus in Lunae diſquiſitione Philoſophos ante ſe omnes ſuperavit; ſed nec ipſe rem perfecit. Praeclariſſimi noſtrae aetatis Geometrae Eulerus & Alembertius nervos omnes contenderunt, ſed irrito conatu. Unde Stayus praeclare cecinit *Philoſophiae* ſuae lib. 5. verſ. 1900. *Sola triformis adhuc hominum Dea vincla recuſat, Vertit ſe in formas varias, varioque meatu, Multiplicique via multorum elabitur arti.*

(*b*) Solem ſuam habere Atmoſphaeram, in ipſum gravem, immo vero hanc ipſam Atmoſphaeram duplicem eſſe, craſſiorem alteram, alteram rariorem, quales in Atmoſphaera terreſtri diſtinguimus, jam Phyſici omnes & norunt, & conſentiunt. Contra vero de Lunari Atmoſphaera nihil adhuc compertum eſt ac definitum. Diſſertationem, quam vocant, de Lunae Atmophaera edidit Boſcovichius Romae an. 1753. in qua multa ad hanc rem ſpectantia ab eo copioſe & erudite afferuntur; inter alia num. 151. haec habentur. *In*

pri-

Quae nitidam velet faciem, maculisque decoros
Inficiat vultus; sic & protenta vaporum
Vis deprendetur, quae Lunam sepiat, illi
Unde superfusus notet ora argentea pallor.
Quid? quod praerapido delata per aethera curru
Exleges discet moderari ad certa quadrigas
Jura, atque indociles fraenis cohibere jugales?
Innectet frustra *nodos* (*a*), queis callida mentes
Illaqueetque hominum, curasque eludat; at ipsi
Solventur nodi; nec erit locus astibus ullus.
Denique, quantumvis multo statuenda labore,
Tota Planetarum ratio constabit, & illi
Ancipites cursus, altum quibus aethera tranant,
Ordine procedent recto, finita quibusque
Cum sua erit varians pro mole & pondere *massa* (*b*).

Motus Lunae ad certam rationem exigētur.

Sistema planetarū certius constituetur.

Nec jam finis erit. nam quis legemque modumque
Ingeniis statuat? quis motus comprimat acres
Huma-

Difficile esse ingeniis modū imponere.

primis Lunam carere Atmosphaera simili huic nostrae evidentissime demonstrant phaenomena illa omnia, quae in ejusmodi Atmosphaera exhibere deberent immersiones, atque emersiones stellarum fixarum, ac Planetarum, quae a num.77. persecuti sumus. Nihil ejusmodi observamus in Luna.

(*a*) Nodorum nomine ab Astronomis intelliguntur duo illa puncta, in quibus orbita Lunae Eclipticam secat.

(*b*) Maximum, in definienda *massa*, quam vocant, Planetarum, momentum esse ad Planetarum ipsorum motus recte atque ordine constituendos nemo ignorat. Massam & pondus Planetarum princeps Nevvtonus expendit; NevvtonumAstronomi omnes in tantae rei pervestigatione sequuti sunt. Multa de Planetis invenies apud Boscovichium in suis ad Stayanae *Philosophiae* librum quartum supplementis.

Humanae mentis ? quin impigra ſemper , & aeſtu
Uſque novo fervens coeptis majoribus inſtet .
Siſtema quod vocant trium corporũ ſtabilietur. Ac jam aliquis nectet ſecum tria corpora (*a*) , Solemque
Et Terram in primis ; atque his vel Jupiter ipſe
Tertius accedet , vel Mars , vel candida Luna ,
Aut Maja ſatus , aut ſummo Saturnus ab orbe .
Atque alius majora audens ſuccedet Olympo ,
Vitrometri ſubſidio exactius caeleſtia corpora inſpicientur. *Vitrometro* (*b*) monſtrante viam ; & rimatus acutis
Cuncta oculis , & quo nemo hactenus aſpiravit ,
Altius evadens , aut vanum , ut credere par eſt ,
Errorem noſtris de mentibus auferet ; aſtra
Aut ſi qui vaga ſorte colant , digreſſus ab axe
Perferet , & nobis habitumque genuſque notabit .
Quid niſus cauſae , & gravitatis , & abdita multa ,
Quae magis effugiunt viſus , aciemque tuentum
Fallunt ? corporibus ne modus (*c*) , finiſque ſecandis
Sit nullus , puncto an demum ſiſtatur in uno ?

Semi-

(*a*) Uti e ſyſtemate Planetarum recte ſtabilito tota propemodum Aſtronomiae ratio pendet ; ita valde optandum eſſet , ut trium corporum , quod vocant , problema ita ſolveretur , ut motus ii , quos ex mutua trium corporum attractione conſequi neceſſe foret , definirentur. Verum *cui tanta viro permiſſa poteſtas* ? Celeberrimi Viri Clairaultius & Alembertius plura de hoc ſyſtemate ſubtiliter & copioſe ſcripſerunt.

(*b*) Vitrometrum inſtrumentum eſt recentiſſime inventum ad dimetiendos abſceſſus radiorum . Hic autem innuitur ineptum de Planeticolis , quos vocant , commentum .

(*c*) De diviſibilitate , & ajunt , corporum in infinitum multa in utranque partem Phyſici diſputant . Hac de re diſceptationes variae jam typis editae paſſim occurrunt .

Semina quid rerum (*a*), quorum congreſſibus omne
Corporeum genus, & terris atque aethere in alto,
Tam ſpecie varium, quam forma gignitur? Adde
Huc alia innumero numero penetralibus imis
Abdita adhuc naturae, alteque latentia; ſed quae
Depromet veniens, in apricum & proferet aetas.

Multa cognitu difficiliora deprehendentur.

Nec vero, humanae deerunt qui commoda vitae
Uſque nova extundant. Metati pondere certo
Conſtabunt moduli, quibus actus corpore toto
Sanguis eat. medicos vis oſtendetur in uſus,
Addita quae plantis (*b*) vulgo omnibus, omnibus herbis,
Seu quas terra parens, aut montibus educat altis,
Vallibus aut imis; ſeu quas ſub gurgite vaſti
Doris alit Nerei, & ſalſis rigat aequoris undis.
Ipſa etiam taetramque luem, triſtemque ſaporem
Eluet unda maris (*c*), miſeriſque innoxia nautis
Pocula ſufficiet, tunc certius arva profundi

Humanae vitae commodis conſuletur.

Sul-

(*a*) Cum ad ipſa principia, quibus corpora conſtituuntur, venitur, omne, quantumvis perſpicax ingenium haereat neceſſe eſt; neque enim tam abdita penetralia ſubire hominum ulli conceſſum. Huc uſque licet, ulterius vero progredi non licet. *Eſt quadam prodire tenus* (inquit Horatius lib. 1. ep. 1. verſ. 32. alio quidem ſenſu, ſed ita, ut ejus verba noſtrae huic ſententiae accommodari poſſint) *ſi non datur ultra*. Atque his finibus, mortalium ingenio conſtitutis, contenti eſſe debemus.

(*b*) Soli hominum ſapientiſſimo Salomoni conceſſum fuit a cedris Libani ad hyſſopum diſputare.

(*c*) Multa experimenta de eluenda aqua marina & celeberrimus Valliſnerius & Nicolaus Ghezzius Soc. Je. inſtituerunt; dulcem quidem, ſeu potius minus inſuavem eam reddere ad palati ſenſum potuerunt; noxias, atque adeo aquae ipſi ingenitas qualitates prorſus abſtergere non potuerunt.

Sulcabit vector (*a*), nec tempestatibus ipsis;
Cum venti posuere, haeretque immobilis aër,
Horrebit, vasti deprensus in aequore ponti,
Haud minus infestam tranquilla per alta quietem.
Postremo, veri siquid mens augurat, & si
Mendaces Phoebus minime sinit esse poëtas,
Singularis constructio navigii excogitata a P. Lana Soc. Jes. Arte nova compacta ratis (*b*) se tollere ab ima
Audebit terra, ventisque elata secundis
Nare per aëreas discet felicius oras.
Ultra tum demum noti confinia mundi,
Extremosque hominum Purchas(*c*); ipsumque sub Austrum
Ibitur, & totus terrae lustrabitur Orbis.

(*a*) Vector accipitur etiam passive pro eo, qui navi vehitur, Cic. VIII. Phil. cap. ult. *& summi gubernatores in magis tempestatibus a vectoribus admoneri solent*. Virg. Eclog. 4, ver. 38. *Cedet & ipse mari vector; nec nautica pinus Mutabit merces*.

(*b*) Ingeniosissima & satis nota navis constructio a Francisco Lana Soc. Jes. celeberrimo Philosopho & Methematico excogitata. Ingenium sapientissimi Viri laudandum, usus & commoda ingeniosissimi inventi non exspectanda. Hujus ipsius navis constructionem elegentissimis versibus exposuit Bernandus Zamagna e Soc. Je. Venustissimum poema si prodierit in lucem, non minorem inde laudem Auctor, quam ab alio philosophico poemate jam ab ipso edito, & de quo libro sequenti sub finem a nobis honorifica mentio fiet, consequutus sit, consequetur.

(*c*) Hi populi omnium extremi ad polum septemtrionalem in tabulis geographicis notantur.



ELE-

ELECTRICORUM

LIBER VI.

SED jam ſupremum mecum decurre laborem ,
Palmula jam ſtringit littus , portuſque ſubimus ;
Et meritam puppi juvat impoſuiſſe coronam ,
Te , Rogere (*a*), ſequar, quando hic me deſerit Anglus ,
Ignarumque in fine viae incertumque relinquit .
Huc igitur noſtri decus immortale Lycei ,
Huc ades ; atque operis quod reſtat perfice , & harum
Quas complexus adhuc rerum ſum carmine , primam
Te minime pigeat mihi nunc oſtendere cauſam .
Forſan erit (quanvis extremam impendere Muſis
Eſt animus curam) ſuperans modo vita perennet (*b*) ,
Forſan erit , mentem ut quondam mutatus , & oeſtro

Rogerii Boſcovichium ſequendum ſibi poeta proponit in primae cauſae i- -eſti- g- -one.

N Inti-

(*a*) Huc uſque Franklinum , quem nomine *Angli* indicat , ducem ſequutus eſt auctor ; nunc ad reconditiorem virtutis electricae inveſtigationem progrediens , omnia , quae hoc libro perſequitur , a Boſcovichio didicit , eique , ut par eſt , accepta refert . Quod ſi forte ingenioſiſſimi Viri ſententiam plane aſſequutus non eſt , id ſibi unice tribui vult .

(*b*) Verbum *perenno* hoc loco non perinde intelligendum eſt , quaſi vitam ſibi perpetuo duraturam auctor ſpondeat , ſed hoc ſenſu ; nimirum ; ſi vita diutius deo favente ſuppeditabit ; quo ſenſu idem verbum uſurpatum invenies a Columella lib. I. c. 9. *ut diutius perennent boves, non confecti vexatione ſimul verberum operumque &c.*

Intima percussus subito praecordia, Vates
Quandoquidem genus inconstans sumus, Aonis oras
Desertas iterum repetam, Pindumque revisam,
Systema Boscovichi anū quam brevissime exponitur. Et canere inventa aggrediar tua, semina rerum
Dissocias qui prima, eademque innexa revincis.
Nanque introspiciens (*a*) non enarrabile textum;
Cor-

(*a*) Boscovichianum Systema, quā paucissimis fieri potuit & verbis & sententiis exponit auctor; & sane Boscovichii sententiam, ut mihi quidem videtur, assecutus est. Qui vero ipsum Systema intimius cognoscere cupiat, is profecto iis, quae ab auctore nostro quambrevissime perstringuntur, contentus esse non poterit. Adeat igitur ipsum Boschovichium, ejusque egregium volumen legat, quod prodiit Venetiis an.1763. ex Typographio Remondiniano. Inscriptio autem voluminis haec est; *Theoria Philosophiae naturalis redacta ad unicam legem virium in natura exsistentium*. Auctore Rogerio *Josepho Boschovichio, ab ipso perpolita & aucta*. Quo vero pateat quam presse Boscovichii sententiae auctor adhaeserit; & aliqua lux obscuriori loco afferatur, opportunum judicavi italica ipsius Boscovichii verba subjicere, unde sua carmina fideliter Parthenius noster expressit; *Eccone la dottrina. Ammette punti indivisibili, ed inestesi sparsi pel vacuo, e tra se lontani in modo, che non possano mai toccarsi, e pure non sieno sciolti in modo, che non formino masse consistenti. Imperocchè riconosce in essi delle forze, con le quali, secondo le varie distanze fra loro, o tendono ad accostarsi, o a discostarsi, avendo nelle minime distanze un infinita forza ripulsiva. dove crescendo la distanza, si passa dalla ripulsione alla attrazione, ivi vi è la coesione, impedendo quella ripulsione l'accostamento, e questa attrazione un ulteriore distaccamento.*

Queste forze hanno la sua legge, che è espressa da una curva, la quale si rivolge con mille e mille contorcimenti intorno ad un asse rettilineo, segandolo in moltissimi punti, ed ha due lungbissime gambe, che i Geometri chiamano assintotiche, e vuol dire, che si accostano in infinito a linee rette senza coincidere; e torna lo stesso che il dire, che si accostano in infinito alla forma di linee rette. Essa unica, e sem-

Corpora quo variis coalescunt plexibus apta,
Puncta vides vastum per inane natantia, partes
Queis adimis, molemque negas, certamque figuram.
Atque haec ipsa quidem, se se metuentia tangi,
Et distincta facis; sed non resoluta fatiscunt
Idcirco; at firma secum compage tenentur.
Quippe addis varias diverso munere vires;
His se pro vario positu fugiuntque petuntque,
Innumerasque vices alternant; proxima porro
Si fuerint, fugiunt; vis infinita repellit.
Hinc semper distant, nec se coeuntia tangunt.
Ast ubi perpetuo vis immutata recessu
Jam trahit illa eadem, quae reppulit ante, cohaerent.
Accessum negat illa, novum negat ista recessum.
Nec vero hae nulla sunt vires lege revinctae;
Est sua lex; albi lato haec super aequore plani
Subjicitur descripta oculis. Protenditur axis
In medio rectus, quem circum linea curvo
Se torquet flexu, variisque ambagibus errans
Mille secat resecatque locis; sed bina recedunt
Crura procul rectos vix non imitantia ductus;

 Una

semplice esprime tutte le varie forze.

Fondamento principale di questa Teoria è la legge della continuità, per cui tutte le mutazioni nella natura si fanno gradatamente, passando sempre da una grandezza all' altra per tutte le intermedie, senza menomo interrompimento, o come sogliono chiamarlo, salto. Haec Boscovichius ipse de suo novo Systemate, quae quidem poeta noster, quantum summa rei passa est difficultas, clare ac dilucide versibus exposuit.

Una regit varias ſimplex ea linea vires.

Boſcovichius novū Syſtema in gymnaſia inducit.

Haec non ulli audita prius, neque cognita ſaeclis
Ante tot exactis, felici indagine primus
Tu perveſtigas, nec non fauſto omine docti
Atria tu primus deducis ad alta Lycei (*a*).
Naturam inſolitus cepit ſtupor; haeſit, & harum
Attonitae ſimilis defixa in imagine rerum,
Multa animo ſecum ipſa putans, & ſingula volvens,
Ut ſe collegit, tanto laetata reperto eſt.

Nempe erat optandum, quod publica vota petebant;
Exoriens aliquis tandem afforet, acrius omnem
Qui virtutem animi intendens penetraret in ipſas
Altius inſinuans cauſas, & mente ſagaci,
Et facili tantas molimine conficeret res.

Laus Boſcovichii.

Et ſunt confectae per te feliciter, o Vir
Ingenio praeſtans, magnis praeſtantior auſis;
Ipſam dum fido ſervans veſtigia greſſu
Naturam ſequeris praeeuntem, & cuncta novantem
Perpetuo motu; ſed callibus interciſis
Infenſam motu in tanto, *ſaltuſque* peroſam.

Jam

(*a*) Haec aſſentationis gratia ab auctore ſcripta eſſe nolim lector ſuſpicetur. Vere enim Boſcovichius expoſitum Syſtema primus excogitavit, & re ipſa in gymnaſia invexit, ut jam *Boſchovichianum Syſtema* jure ac merito appelletur, & tota Europa vulgatum ſit. Publice enim in publicis Academiis & traditur & defenditur; & ſi ſuos habet adverſarios, eoſque non contemnendos, commune id habet cum celeberrimis nobiliſſimorum Philoſophorum Syſtematis, quae etiam ipſa ſuos & propugnatores & oppugnatores nacta ſunt.

Jam vero quae digna ſatis, quae debita tantae
Praemia virtuti tribuenda putabimus? huc o!
Vos almae, vos huc properate Heliconis Alumnae,
Ferte citae lauros, date ſerta, innectite ſacras
Fronde comas, meritaque Virum donate corona.
Ille etenim primis vos & veneratur ab annis,
Vos & amat; quin ſaepe polo digreſſus ab alto
Pierios colles & nota reviſere Tempe
Gaudet, & argutis numeros intendere nervis.
Et canit, Uranie quae coram oſtendit, aperto
Dum graditur caelo, & praeſentia ſidera luſtrat;
Defectus (a) Solis varios, Lunaeque labores,
Surgentumque ortus ſignorum, obituſque cadentum.

Opus aſtronomicū & poeticū Boſcovichii.

Interea merito capiti dum debita Muſae
Serta ferunt; eadem, Juvenes, qui caſtra ſequuti,
Flos veterum virtuſque virum, lectiſſima pubes,
Ecquid vos tangunt exempla domeſtica? ſummi
Ecquid fama Viri, totum quae ſparſa per orbem,
Excitat, & pulcros animum ſuccendit ad auſus?
An dubitatis adhuc, tanto duce, tendere ad aſtra?
Quin agite, & dum res calet, atque opere omnia fervent,
Et nondum, pigra ſenſus hebetante ſenecta,
Frigidus obriguit circum praecordia ſanguis;

Adhortatio ad juvenes Societatis.

(a) Scripſit etiam Boſehovichius *de Solis ac Lunae defectibus* libros quinque eleganti latino carmine. Hos autem publici juris fecit, ediditque Londini anno 1760., cum ea in urbe, florentiſſimi regni principe, verſaretur.

Dum pudor incendit vires, & conſcia virtus
Exſtimulat, magnis alacres accingite coeptis.
Hoc vos, & ratio ſtudii communis, avitae
Hoc vos laudis honos, Patrum hoc decora alta repoſcunt.
Ipſe etiam exiguam tantae decerpere laudis
Conabor partem, tantoque accepta magiſtro
Enitar vulgare, ſinant modo numina laeva,
Et votis adſit precibuſque vocatus Apollo.

Vires corporum explorandae. Ac primum, ſi noſſe cupis rem certius, omnemque
Altius ex ipſa deducere origine cauſam,
Sunt explorandae vires, quarum omnia aguntur
Impulſu; neque enim ſolam natura quietem
Affectat; neque ſola in rebus inertia regnat.
Motus varii in rerũ natura. Aſpice quam varii motus terraque poloque,
Quaque patens longe protenditur Amphitrite,
Et quam diſcordes gignantur. nempe quibuſque
Addita corporibus vis eſt, qua exercita nunquam
Ceſſant, & ſe ſe, varium alternantia niſum,
Ipſa adverſa trahunt, nec non averſa repellunt.

Indicia utriuſque virtutis, Utraque vis pariter, ſi nunc utriuſque requiras
Non dubium ſpecimen, tibi ſe ſe prodet apertis
Et trahentis, Indiciis; & prima quidem in magnete, propinquum
Qui ferrum rapit, & properat conjungere ſecum,
Quo tandem id fiat naturae foedere, raptum.
Oſtendet vero ſe ſe vis altera multo
Et repulſivae. Pluribus indiciis, ſi tantum lumina paullum

Inten-

Intendas. mollis viden, ut tenuiſſima lanae
Vellera, in anguſtum pugno contracta tenaci
Si per vim fuerint, ſubito obluctante reniſu,
Reſtituant ſe ſe ſpatio laxata priori?
Particulae fugiunt ſe nempe; odere teneri,
Attactumque averſantur, preſſaeque repugnant.
Particulas quoque te fugientes multa docebunt,
Quae paſſim occurrunt medio vaga corpora caelo;
Ut rareſcentes nebulae, fumique volucres,
Et late fuſi vacuum per inane vapores.
In primis vero longe manifeſtius aër
Hoc ipſum oſtendet; qui nullo fine patentes
Sortitus campos tranabilis (a) aetheris, ullis
Arctari vinclis negat; atque extendere ſe ſe,
Et caelo gaudet decurrere liber aperto.

 Inſu-

(a) Hoc vocabulum fortaſſe aput veteres latinae linguae Scriptores non invenitur, ſed cum ad aliorum ſimilitudinem inflexum ſit, quae a probatiſſimis auctoribus uſurpata paſſim occurrunt; non video, quare ab auctore noſtro uſurpari recte non potuerit. Virgilius a verbo ſpiro effinxit *ſpirabile*, a verbo penetro *penetrabile*; quae tandem, obſecro tam ſuperſtitioſa religio impediet, quin a verbo trano *tranabile* formari poſſit? quidquid contra dicant non nulli verborum aucupes, qui tum demum latine ſe arbitrantur ſcribere, cum nullum verbum, niſi quod in antiquis Scriptoribus invenerint, uſurpant; verborum inquam aucupes, qui de vocibus plus nimio ſolliciti, parum de Syntaxi ſeu conſtructione laborant, in qua tota non latinae linguae ſolum, ſed cujuslibet idiomatis ſita vis eſt. Legatur hac ſuper re M. Antonii Flaminii Viri doctiſſimi, & Poetae celeberrimi epiſtola, quae prima occurrit inter editas una cum ejuſdem carminibus a Cominio Patavii an. 1743. Hanc qui legerit, nimiam profecto exſuet in ſcribendo ſuperſtitionem.

Spatii intervalla notanda sunt

Insuper haec ; spatii sunt intervalla notanda ,
Quae vires certis moderantur legibus , atque has
Intendunt persaepe tibi , persaepe remittunt ;
Nonnunquam omnino segnes ad munera reddunt .
Stabit iners ferrum , si longe absistat amico
A lapide ; accurrit citius , magneta propinquum
Sensit ubi . At contra nulla est distantia tanta ,
Quam non exsuperet gravitas ; non longa ratardant
Vincere nitentem cursu intervalla citato .

Vires corporum variant.

Observantur item minimae , quae corpora pangunt,
Consertae partes multum variare , nec omnes
Exerere aequales in singula corpora vires .
Scilicet interdum quae vis est acris ad illa
Corpora , nonnunquam torpet tibi segnis ad ista .
Proximitas quidquam non confert summa ; propinqua
Non secus irritant , longe ac si corpora distent .

Leges virium diversae.

Hinc variae emergunt vario discrimine leges ,
Quas satis intenta nunquam meditabere cura ;
Quippe harum arbitrio vertuntur plurima , quorum
Frustra alibi certam nitere inquirere causam .

Una tantum lex cõstituta a Boscovichio.

Quanquam est , qui legem tantummodo sanciat unam
Materiae punctis communiter omnibus ; atque hac
Sola contentus , sola hac instructus abunde
Praecipua exsequitur naturae . nempe revincit
Inter se numero variantia , & ordine puncta ;
Tum vis pro vario numero plexuque struentum

Co-

Corpora punctorum varios ciet addita motus,
Diverſi ut poſitus atque intervalla tulere.
Nec vero ſolum ſpatii diſcrimina adaugent,
Aut contra minuunt, varia ut ſunt corpora, vires;
Sed vis ipſa trahens tibi, quod mirere, repellens
Nonnunquam evadit, verſo in contraria niſu.

Vis trahens aliquãdo evadit repellens.

Ac, ne longe exempla petas, cum ſegnis ad ignem,

Hujus rei exemplum.

Aſpera brumales ſpirant ubi frigora cauri,
Tute ſedes, verſaſque tenaci forcipe prunas,
Aſpice, ſi lenti coëant capita ultima ferri
Preſſa manu, ut fugiant ſe ſe, & contracta prementi
Dextrae obluctentur, conſtringentemque fatigent?
Sin autem multa tibi vi diſtracta recedant,
Continuo oppoſitum gigni mirabere niſum.
Ac neque jam fugiunt ſe ſe diverſa, ſed ultro
Adverſa accedunt; &, quo diſtractio major,
Vis etiam augeſcens momento creſcit eodem.
Hae ſunt, hae vires illae, ſuper omnia habere
Quas bene perſpectas explorataſque neceſſe eſt,

Cognitio Virium neceſſaria.

Quaſque ego non poſſim ſatis inculcare volenti
Intima naturae ſcrutari arcana latentis.
His ſine fas nulli tantos penetrare receſſus,
Atque adeo abſtruſos; his eſt feliciter uſus
Nobilis ante alios hac tempeſtate Britannus.

Iſacus Nevvton.

Tu quoque naturam contemplaturus iiſdem
Utitor. haud illis quidquam certaverit, & tot

Diſcor-

Discordes secum eventus componere, totque
Perplexas rerum variarum evolvere causas.
Nunc age, quandoquidem harum est infinita potestas
Naturam rerum late diffusa per omnem,
Virium translatio ad res chymicas. Has ipsas Chymicae diversa ad munera vires
Confer. nil etenim fortasse expressius actam
Virtutem ostendet per singula corpora, & illos
Eventus una, quorum nunc altius omnis,
Et prima hic nobis investigatur origo.
Officina chymicae describitur. Quin modo sollertis ne daedala tecta subire
Te mecum pigeat Divae. mirabere multa
Constructos hic arte focos; hic ignis anhelans
Aestuat, & clausus centum fornacibus ardet.
Ipsa operum princeps; ipsa omnia digerit; ipsam
Affusae mediam dextra laevaque frequentes
Accipiunt comites; unam admirantur, & omnes
Paeonium in morem pallam post terga revinctae
Certatim exercent se se, &, quod cuique tributum est,
Varia munera artis chymicae. Incumbunt operi. Pars pubescentia florum
Germina, demessum populati veris honorem,
Deproperant trepidae plenis afferre canistris;
Pars herbas stirpesque domant ferventibus undis,
Atque salutiferos educunt inde liquores.
Sunt, quibus est studium subtilius; igne liquatis
Corporibus lento, sal illa volatile; pingue
Elicit haec oleum; tenues contra ista vapores

Expri-

Exprimit; aſt aliae commiſcent corpora ſecum
Delectu vario; tum, quid commixtio gignat,
Obſervant tacitae. Quid multa? idem omnibus ardor
Munere quanque ſuo fungi; labor additus urget,
Et dominae ſtimulos ſubdit praeſentia Divae.

His ita decurſis oculo properante, quod inſtat
In praeſens, obſerva attentius; ac mihi primum
Quo diſtracta modo ſolvantur corpora diſce;
Dein ut praecipitent imo coëuntia fundo;
Atque acri demum ut fermento agitentur & aeſtu.
His tribus inſpectis, Chymicae quae prima feruntur
Munera; tum facile addiſces ut noſtra propaget
Se virtus, varioque fluens per corpora lapſu
Una tot eventus tanto diſcrimine gignat.

Tria obſervanda attentius, Solutio corporum, Praecipitatio, Fermentū.

Solvitur injectum ſal undae; regia ſolvit
Lympha aurum; fulvi videas diſcreta metalli
Diſpergi toto paſſim vaga ſemina labro;
At, quod mireris, fundum, contra atque repoſcat
Lex gravium, nequaquam adeunt reſoluta; ſed uſque
Hac illac tendunt fluitare natantia, donec
Exigui ſalis injectu depreſſa reſidant.

Lympha regia ſolvit aurum.

Sal aurum fundo mergit.

Tentare hoc poteris, ſubeat ſi quando voluntas.
Interea miri certam diſquirere cauſam
Si cupis eventus, hanc non ſcrutabere fruſtra,
Si memori recolens animo modo dicta retractes.
Ac primum vires tecum perpende trahentes,

Explicatio hujus phaenomeni.

Mo-

Momenta, ut docui, explorans, an nisus utrinque;
Anne & pondus idem; tum, quo distantia partes
Limite dissociet, metire; his rite peractis
Haud dubie invenies, ita non adstringier arcte
Particulas auri secum, multo acrior ut non
Sit vis solventis lymphae, minimasque trahentis
Ad se auri adductas majori robore partes.

Quare aurum dissolvatur.

Nec vero infringet robur, nisumque retundet,
Siquam deprendas mediam, distantia; nanque haec
Non adeo lato disjunget limite partes,
Nec tam immanis erit, queat intercludere ut omnem
Vim, multoque minor, si illam metabere, quam sit
Quae minimas ad se partes vis attrahit auri.

Particulas igitur lymphae solventis ad aurum
Fortior impellens urget vis; ocyus illae
Parent, & fulvam facto velut agmine massam
Affusae circum vallant, obeuntque frequentes;
Nec satis; insinuant se se, penitusque receptae
Intervalla, poros superant, & tota pererrant
Intima comprensae subeuntes viscera massae.
Fit via vi. solidi partes cessere metalli,
Inque vicem distractae abeunt; atque inde soluta
Aurea cernuntur media corpuscula lympha.

Solutum aurum cur subito non mergatur.

Cur autem non ima petant, fundoque residant;
Sed pergant summo fluvitare innantia labro
Ne mirere, eadem nimirum causa recursat,

Que

Quae modo contritum in partes dispescuit aurum.
Rursus enim coëunt lymphae solventis eaedem
Particulae; accurrunt rursus, mediasque coërcent,
Et cumulis totidem vallant stipantque, quot auri
Offendunt partes disjecta mole revulsas.
Plurimus his cumulis globus accurrentis eodem, *Plures globuli concrescunt.*
Et circum affusae concrescit ab augmine lymphae,
Nucleus in medio pars fulvi avulsa metalli;
Inde tot aequata globuli nant mole, quot auri
Distractae fuerunt partes, quas agmine denso
Lympha ambit, prohibetque imo subsidere fundo.
Nec si alius majorem alio concrevit in orbem *Modus globulorum aequalis.*
Concursu lymphae globus, indulgere propinquo
Tantundem haud renuet, quantum & mensura requirit
Certa, & finitus globulis modus omnibus idem.
Hoc vis ipsa trahens, nec non majorve minorve,
Quae nisus momenta regit, distantia curat.
Hinc est, quod guttae lymphae stipantis in orbes
Aequales coëunt; hinc & corpuscula totâ
Aurea suspicies aeque fluitantia lympha.
Discendum modo, quod sequitur, cur pressa residant, *Aurum a sale deprimitur.*
Praecipitentque imo jactu salis acta profundo
Semina, distractis quae partibus aurea toto
Vidisti admirans paullo ante innantia labro.
Hic iterum ad vires si regrediere trahentes *Affertur ratio hujus depressionis.*
Momenta explorans nisus diversa, remensus

Si

Si rurſus ſpatii tecum intervalla notabis,
Quaeſita haudquaquam fugiet te cauſa latendo.
Comperies etenim vi contra urgente retractas
Solventis lymphae ſalis ad corpuſcula niſu
Particulas adigi majore, auroque relicto
Illuc concurſu ſubito contendere, quo vis
Fortior impellit. verſis ſic ordine rebus,
Quae tibi diſtractum prius obvallaverat aurum,
Regia digrediens medium nunc lympha liquens ſal
Amplexata tenet, circumque affuſa revincit.
Aurum continuo, lympha ſtipante relictum,
Depreſſum cadit ingenita gravitate, minuti
Pulveris in morem, & fundo ſubſidit in imo.
Non ſecus ac, denſis ſiquando vaporibus altum
Contexere polum nubes, cöeuntibus una
Particulis ſenſim minimis; ubi grandior aucta
Concrevit moles, ſuſpendier amplius axe
Quam poſſit, gravior de caelo depluit imber,
Et teretes ſummo labuntur ab aethere guttae.
Explicatur fermẽtum. Poſtremum ſtudio tibi non leviore notandum
Fermentum reſtat; quo nempe agitante, tumultus,
Atque anceps oritur vario diſcrimine rixa.
Conatu toties hoc non tentabis inani,
Mixta ſimul quoties ſecum pugnantia junges
Corpora. Tum vero infeſto diſcordia motu
Infert ſe mediam; magnis certat ur utrinque

Diſſi-

Diffidiis; vis nempe trahens, contraque repellens *Pugna virium.*
Secum contendunt & mutua praelia miscent.
Hi motus verum, nec non certamina tanta
Haud longum durant; quin & tranquilla repente
Excipit haec aliquando quies; aliquando fit ingens
Murmur, & horrisono cessant discussa fragore.

Horum tu specimen capies, si mixtus aceto *Exempla hujus pugnae.*
Sit candens limus, medico de fonte petitus
Nuceriae; permixta inter duo corpora primum
Ingens dissidium; fervent, agitantur, & alte
Exsultant; tum magna quies; componitur omnis
Motus; quaeque prius pugnabant corpora, secum
Foedere conspirant adeo & junguntur amico,
Acres ut stimulos mordax deponat acetum,
Et dulcem accipiat limo ex candente saporem.
At longe secus, abrasi si cum scobe ferri
Mixta superfusâ irroraris sulphura lympha.
Continuo excitas multo violentior aestus
Exagitat partes, subitusque accenditur ignis.
Rixantur secum discordia corpora, tantisque
Adversa inter se contendunt motibus, atrox
Non nisi ut ingenti dirimatur pugna fragore.

Hoc quidam edocti exemplo, didicere corusca *Fulgetra & terraemotus per ludum effecta.*
Fulguraque, & tonitrus, terraeque effingere motus;
Tum quos *Vulcanos* appellavere, Vesevum,
Trinacriamque Aethnam, rupta fornace furentem,

Flam-

Flammarumque globos liquefactaque ſaxa vomentem.

Cajetanus Amatus e Soc. Jeſu.

Quales ſollerti nobis deſcripſit *Amatus* (*a*)
Ingenio praeſtans, auſus penetrare ſub ipſa
Viſcera terrarum, & cauſas proferre repoſtas
Tantus inexhauſtis cur de fornacibus ignis
Ardeat, aeterno non extinguendus ab aevo.
Nempe Vir omnigenas hic informatus ad artes,
Egregius primum rhetor, mox acer opacae
Naturae inſpector, tum diſceptator honeſti,
Muneribus tantis inventus idoneus unus
Multiplici inſignem peperit ſibi nomine famam;
Id vero, inſtitui quod ſupra dicere, qua nam
Arte uſi efficiant, paucis, adverte, docebo.

Modus id ipſum efficiendi.

Cum ſcobe corraſi vivacia ſulphura ferri
Accipiunt; tum mixta ſimul, congeſtaque parvi
In ſpeciem tumuli cogunt; hic ceſpite vivo,
Aggeſtaque operitur humo, tumulique ſupino
Exſtructas dorſo, ſeu molli e ſubere, ſive
E tenui libro peluſiacaque papyro,

Im-

(*a*) Cajetanus Amatus e Soc. Je. Vir inſigniter eruditus, Rhetor, Philoſophus, & Moralis Theologiae Doctor, ea jam in publicam lucem edidit, quae de ejus ſingulari eruditione eximiaque doctrina dubitare non ſinunt; quibus praeſidiis inſtructus tot, quae recenſuimus, munera cum laude ſuſtinuit. Operum porro ab Amato editorum tituli hi ſunt. *Diviſamento critico ſulle correnti opinioni intorno a' Fenomeni del Veſuvio e degli altri Vulcani. In Napoli an.1765. Summa Moralis Theologiae hauſta ex opere P. Nicolai Mazzotae e Soc. Je. Neap. an.1761.* Opus hoc pluribus tomis comprehenſum eſt, quibus quintus tomus accedit non aliunde depromptus, ſed totus ab ipſo Amato elaboratus.

Impoſuere caſas. his actis, deſuper undam
Irrorant large; humor ubi perſedit ad ima,
Nec mora; fermento partes agitante revulſas,
Impoſitas nutare caſas, tremere omnia circum
Aſpicies. tumuli vertex reſeratur, & ingens,
Non ſine terrifico ſonitu, diſcluſa repente,
Omnia ſubvertens prorumpit ad aethera flamma.
Hoc quoque particulis tribuendum. hae mutua ſecum
Diſſidia exercent, & ſe fugitantque trahuntque
Alterno inſtabiles, varia ut diſtantia, motu.
Utraque vis pariter venit in certamen, & inde
Atrox diſſidium; nec habet diſcordia finem,
Dum media incertam dirimat victoria pugnam.
Praevaleat ſi forte trahens, quae corpora ſecum
Miſcueris, coëunt ſimul & ſociantur amice.
Aemula ſin autem duro in certamine victrix
Vis contra ſuperet; nec pax, nec foedera, tanti
Nec belli modus; inſurgens ſecum omnia donec
Auferat, & ſuperas turbo diſperdat in auras.

Diſſidium particularum & certamen virium.

Varii effectus conſequuntur.

His ita praemiſſis, age, jam ſubit ultima cura,
Et brevior ſupereſt vicina ad littora tractus.
Nam, quod corporibus, quae conſuevere receptam
Virtutem imbibere, inſinuans haec tota pererret
Aeque diffuſo virtus per viſcera fluctu;
Non alias extra tibi vim cenſeto trahentem
Quaerendas cauſas. Vis nempe illa ipſa, ſolutum

Reditus ad propoſitũ.

Cur fluctus diffundatur in corporibus participatione electricis.

Quae modo sejunctis distraxit partibus aurum,
Disgregat, & fluctus partes dispensat in omnes.
Cur corpora non dissolvantur. Quod vero hic minime nobis disjecta fatiscant
Corpora, quod maneant hic omnia salva, suisque
Cuncta immota locis, inde est, quod fortior inter
Se nexas partes vis alligat. ergo receptus
Insinuans tantum subit intervalla, porisque
Spargitur illabens, integro corpore, fluctus.
Nec minus interea comprendit, & ambit inhaerens,
Auri in particulis quod mirabare solutis,
Particulas solidi, & teretes concrescit in orbes.
Hos autem aequali distantia mole rotundat,
Atque aequa pro parte locat; distantia nempe
Quae vim pro imperio minuitque augetque trahentem.
Fluctus incrementum explicatur. Jam, si nonnullis accrescat copia major
Corporibus rigui fluctus, causa inde petenda,
Quod vis ipsa trahens se longius efferat, ipse
Affusi fluctus quam sit modus; unde priori,
Quo madet imbutum corpus, nova copia fluctus
Forte superveniens accedat, & inde recentes,
Qua licet usque, novis fiant accessibus auctus.
Leges Virium non obstant incremento. Adde, quod in praesens nihil adversatur; & ipsae
Haudquaquam leges descriptae viribus obstant,
Quo minus augeri queat, arctarique premendo,
Et mage condensos stipari fluctus in orbes;
Unde trahens quoque vis & contendatur, & ille

Lar-

Largius interdum nonnullo in corpore abundet.
Sin autem interiora vacet, penitusque reposta
Explorare, &, quae medio corpuscula centro
Abdita restiterunt, rimari attentius; horum
Majorem inveniens molem, tibi praedita quam sint
Quae reliquis latuere globis conclusa; modoque
Vim quoque pro vario augeri minuique trahentem.
Hinc minor attracti, vel major copia fluctus;
Quo minor aut major minimis, quae corpora texunt,
Addita particulis vario est discrimine moles.
Nam, certam etsi mensuram natura quibusque
Provida corporibus descriptam sanxerit, ultra
Quam fluctus, quanquam larga adsit vena, perennes
Exsorbere nefas; vulgo tamen omnia eandem
Non retinent. hoc idcirco, quia plurima saepe,
Et multum variant; species, vis indita, moles,
Ipsa superficies, atque intervalla globorum.
Illud praeterea sollerti indagine dignum est,
Corpore in alterutro superans cur fluctus iniquis
Ponderibus nutet; cur idem saepe relabens
Aestuet hac illac refluo in contraria motu,
Momentis donec paribus libretur utrinque.
Sed teretum extremas orasque modumque globorum,
Atque superficiem si contempleris, eundem
Hinc atque hinc nisum nequaquam viribus aequis
Deprendes; minimis variat vis indita multum,

Ratio subtilior hujus ipsius incremẽti.

Cur in exceptãdo fluctu electrico corpora non eundẽ modum teneant.

Cur fluctus incertus nutet.

Pro inaequalitate virium inaequalitas motus.

O 2 Diver-

Diverſa pro mole, globis; variantia fluctus
Qui ſequitur momenta, ſtatim ac librata quieſcit
Vis titubans, globulis aequa pro parte tributis,
Ipſe etiam aequato tum demum examine ſidit.

Progreſſus ad corpora origine electrica.

Haec bene corporibus, miros quae nata vapores
Exceptare ſinu, atque alieno creſcere cenſu,
Conveniunt; eadem reliquis ut non minus apte
Corporibus quadrent, quae primo electrica ab ortu

Proprietas horum corporum expenditur, & explicatur.

Diximus, expediam paucis. Ita ſcilicet imis,
Haec alium longe morem ſortita, retruſos
Viſceribus claudunt, adeoque tenacia ſervant
Ingenitos fluctus, ut non patiantur eoſdem
Sponte ſua irriguo quoquam perrepere curſu.
Hoc tibi conjunctim vis & diſtantia major
Efficiunt. dirimit globulos diſtantia, tum vis
Particulas liquidi ſolidis agglutinat; atque hinc
Pigra quies, nulluſque tenaci in glutine motus.

Explicatio phaenomeni ſingularis.

Torporem ſedenim interdum, pigramque quietem
Ipſa etiam excutiunt, ſiquando fiat, eodem
Temporis ut momento tantumdem extima fluctus
Corporis ejuſdem acquirat pars, altera quantum
Extima item atque adverſa amiſit; dummodo partes
Exiguum dirimat ſpatii diſcrimen utraſque.
Quandocunque autem praeter contingere morem
Hoc animadverſum a te ſit, tunc omnia juncto
Foedere conſpirant, ſpatii diſcrimina, nec non

Utra-

Utraque vis pariterque trahens, pariterque repellens.
Hanc ſecum ipſe exercet, ubi diſtantia major,
Fluctus; ubi brevior partes diſterminat, illam
Cum liquido exercent ſolidi corpuſcula fluctu.

Poſtremo haec eadem ſiquando corpora fluctus
Acquirantque novos, ampliſque attrita requirant;
Quanquam hoc perraro eveniat; ſed ſi tamen unquam
Contingat; minime nam quae eventura putamus,
Interdum fors ipſa haud exſpectantibus offert,
Te refer ad motum, cujus violentia partes
Corporis attriti permiſcet, & ordine turbat.
Ordine turbato, & propria jam ſede relicta,
Particulae hac illac certa ſine lege feruntur
Incertae, inque vicem modo ſe fugiunt, modo ſecum
Una ipſae coëunt; ſic alternantibus iſtis
Conciliis & diſſidiis, fit ut, obvia quando eſt
Nunc minor irrigui, nunc major copia fluctus,
Cum vario alternent diſpendia mutua lucro.

Incrementum fluctus & decrementum his in corporibus expenditur;

Et ratio affertur.

Legibus his paſſim faciles per corpora aguntur
Arcani fluctus; his ipſa *electrica* virtus
Paret, & illapſu jugi diffuſa per omnem
Naturam rerum, terraſque polumque pererrans
Una tot eventus miro diſcrimine gignit,
Tot luſus ciet una, & tot ſpectacula, quorum
Altius hinc prima repetens ab origine cauſam,
Non eſt a quoquam ſuper his cur plura requiras.

Conclusio operis.

Hactenus haec, quantum novitas, atque aspera rerum
Materies vatem sivit, conatus iniquas
Ad Pindi leges utcunque exponere, finem
Hic demum statuam; neque ego te, absiste vereri,
Amplius, usque nova inculcans documenta, morabor.

Defatigatio auctoris.

Sat tulimus (*a*) longi fastidia dura laboris,
Sat latum pelago spatiis confecimus aequor;
Et vix scyllaeam rabiem superavimus, aegre
Acta tot scopulos inter, syrtesque dolosas,
Navifragosque sinus cymba; quam nunc male tutam,
Atque fatiscentem laxa compagine, tempus
Collectis tandem ad littus subducere velis.
Jam sale tabentes artus, jam fessa levare

Secessus auctoris in Suburbanã Villam.

Membra errore viae longo juvat, atque periclis
Defunctum tantis illo contendere, quo me
Blanda voce vocat, reducemque invitat amoeno

Villa

(*a*) Fortasse auctor in hac ultima digressione prolixior justo videri poterit. Sed magno se auctore tuetur, Virgilio nempe, qui in Georgicorum fine etiam ipse liberius ac longius evagatur. Hoc autem, absoluto opere, concedendum Poetae censet Hieronymus Vida, Poeta summus & poeticae artis Doctor in primis egregius, qui lib.2. Poeticorum ver.247. ait; *Vidi etiam, qui, jam perfecto munere, longam Subjecere moram, extremo sub fine vagantes Exactorum operum, vacua dum carmina musa In longum traherent*; & quae sequuntur. Hoc autem ipsiusmet Virgilii exemplo confirmat Vida, quod in allatis versibus vel praecipit, vel certe insinuat atque imitandum proponit; subdit enim paucis interjectis, *Me nulla idcirco quiret vis sistere, quin post Naturas & apum dictas, & liquida mella, Tristis Aristaei quaestus, monitusque parentis Prosequerer dulci sermone, & Protea vinctum.*

Villa (a) beata ſinu, quae condita Tuſculo alto *Villa Tuſculana Collegii Romani.*
Surgit, & adverſis ſupereminet ardua campis.
O umbrae dulces, fortunatique receſſus!
O antra! o ſylvae! ſtatio o gratiſſima longe
Una mihi ante alias! requies o ſola laborum!
Ut te nunc tandem, tot poſt & ſortis acerbae
Adverſos caſus, & tot diſcrimina rerum,
Exſultans animis, longum exoptata, reviſo!
Haud ego vel nemora Alcinoi, vel Theſſala Tempe, *Villae amoenitas.*
Heſperidumve hortos, jactent quanquam aurea poma,
Praetulerim tibi. Quid primum nunc carmine noſtro,
Quid nunc poſtremum celebretur? an editus alto
Colle ſitus? liquidi an ſpecies nitidiſſima caeli,
Et circum liber Latium proſpectus in omne?
Directae anne viae, ſurgenteſque ordine lauri,
Vivaceſque oleae, & laetam ſpatiantibus umbram
Plurima conſertis praetexens frondibus arbos?
Commoda an aucupio loca paſſim? an finibus ipſis *Vetera monumenta.*
Priſcorum concluſa tuis monumenta Quiritum?
Quo ſe cunque ferant oculi, quocunque per amplam
Planitiem inciderint, nuſquam non obvia ſcitu

(a) Villa Tuſculana Collegii Romani. Quae de amoenitate ſitus hujus Villae, de ſalubritate aeris, de pulchritudine auctor perſequitur in ſuſpicionem ementitae veritatis is tantum vocare poterit, qui Villam ipſam nunquam viderit; qui vero vel ſemel adierit, tantum aberit, ut haec poetico more exaggerata putet, ut potius multo eſſe minora vero exiſtimet.

Et digna occurrunt, & jucundissima visu.
Prospectus Romae. Quae quibus anteferam? se se pulcherrima primum,
Et septemgeminos ostentans ardua colles,
Spectandam ante oculos, orbis caput, aurea Roma
Offert, aspectuque suo beat alma tuentes.
En urbs, en illa auspiciis fundata Deorum,
Imperium terris, famam quae terminat astris.
Mons Albanus. Surgens a laeva (a) se mons Albanus (b) ad auras
Tollit, & umbriferum caput intra nubila condit;
Nobilis exsuviis mons olim ingentibus, & tot
Congestis donis populorum, opibusque superbus.
Aedes Jovis Latialis. Longum ibi post sacra Latialis cultus in aede
Jupiter, unde (c) prius campum adspectavit, & acres
Aeneae Turnique acies Saturnia Juno.
Tibur. At dextra de parte cubans super arce supinum
Tibur Palladios pulcro explicat ordine colles,
Udaque mobilibus pomaria consita rivis.
Quin & servat adhuc canae monumenta Sibyllae;
Templum Sybillae. Apparent veteris longe vestigia templi.
Ille autem procul assurgens & mole sua stans,
Toti conspicuus Latio, mons editus alto

Verti-

(a) A laeva, nempe subjectam immensam plenitiem aspicientis e moeniano sive podio domus.

(b) Quae hic de monte Albano, & infra de Tibure, & de lacu Regillo dicuntur, nota sunt, ut adnotatione non indigeant. In his autem sequutus est poeta auctoritatem Josephi Rocchi Vulpii Soc. Je. in suo *vetere prophano Latio*. Vide tomum 8. romanae editionis 1742., ubi agitur de Tusculanis & Algidensibus.

(c) Virgilius Aeneid. lib. 12. v. 134.

Vertice, Soracte eſt. praeſes Soractis Apollo (*a*) *Soracte mons.*
Quondam, perpetuo cui taeda ardebat acervo
Pinea, & incenſis halabat odoribus ara;
Ante pererrato pubes quam Troïa ponto
Auſonias monitis Divorum accederet oras.
  Huc acres intende acies; illam aſpicis undam
Stagnantem mediis non lato gurgite campis?
Illic bella lacu quondam pugnata Regillo, *Lacus Regillus.*
Conſule Poſtumio. Gemino cum Caſtore Pollux
Pro re romana, pro libertate tuenda
Fraenatis lucent in equis, atque agmina rumpunt
Diſtrictis juvenes gladiis, criſtiſque cruentis
Terribiles. ſubita turbant formidine verſi,
Inque fugam monſtris acti caeleſtibus hoſtes.
Exſultat ſpoliis Conſul romanus opimis.
  Tybridis (*b*)hinc quoque thyrrenum labentis in aequor *CurſusTyberis.*
Eſt oculis curſum legere, & prope cernere longos
Aeneam flexus ſuperantem, atque amne quieto,
Sceptra Palatini Evandri ſedemque petentem,
Tendentemque manu ramum pacalis olivae.
Aſpicis? an vana deludor imagine? Pallas, *Aeneae adventus ad collẽ aventinum.*
Rapto confeſtim telo, Sacriſque relictis,
Accurrit propero vicina ad littora curſu,
Compellatque virum, ſubitique expromere cauſam

Ad-

(*a*) Virgilius Aeneid. lib.11.v.785.

(*b*) Quae hic ſtrictim auctor indicat fuſe narrat Virgilius lib.8. Aeneid. a ver.86. ad ver.124.

Adventus cogit; tanto dein hoſpite laetus
Excipitur ab Evandro. Cari ad conſpectum patris deducit; at illum
Una cum ſociis ſummo rex Arcas honore
Accipit, extructiſque jubet conſidere menſis.
Sed quid ego longinqua ſequor, cum, limine in ipſo
Veſtibuloque domus, cupidis ſe ſe obvia multa
Gabinii Villa. Sponte ferant oculis aeque admiranda. Gabinj (*a*)
Hic illae inſanae moles, eductaque caelo
Sumptibus immodicis operum faſtigia. at illic,
Luculli Villa. Quae disjecta ſolo vaſtam traxiſſe ruinam
Paſſim ſparſa vides immania ſaxa, Theatra,
Circoſque, & calidis fumantia Balnea labris,
Et Lucullani ſignant veſtigia faſtus.
Sin mollem haud pigeat paullum conſcendere clivum,
Tuſculum vetus. Moenia Telegono (*b*) quondam fundata ſubibis.
Rudera cernis adhuc priſcam teſtantia famam.
Sed quanquam multis mihi ſis, o villa beata,

Nomi-

(*a*) Quod de Gabinii & Luculli Villis auctor affirmat, hoc quoque, opinionem Joſephi Rocchi Vulpii e Soc. Je. Viri eruditiſſimi, & qui praeſens totum Latium cognovit ac perluſtravit, ſequutus affirmat. Videatur ipſe Vulpius in ſuo *Latio prophano* tomo ſupra citato.

(*b*) De ſitu antiqui Tuſculi diſputant nonnulli. Sed hi caligare in Sole, ut habet vetus proverbium apud Quintilianum, mihi videntur; quippe qui id ipſum, quod oculis uſurpant, non videant. Extant enim adhuc tot ac tanta rudera in editiore parte montis, ut de ſitu nobiliſſimi municipii dubium omne eripiant. Viſitur etiam nunc ipſa urbis porta; exſtant adhuc reliquiae amphitheatri, quae priſtinam formam ex parte retinent; parietinae ipſae, quae magna copia ſuperſunt, antiqui Tuſculi ſitum nobilitatemque teſtantur & produnt. Porro Tuſculum vetus conterminum eſt Villae Collegii Romani.

Nominibus jucunda, illud tamen omnibus unum
Praetulerim, fueris quod sedes hospita quondam, *Villa Tusculana Ciceronis.*
Ante alias dilecta Viro, (a) qui munere linguae
Praestans, eloquio tantum supereminet omnes,
Quantum armis reliquas romana potentia gentes.
Hoc uno fruor, hoc uno pascor magis; hoc est,
Quod fortunato felicis limina villae
Auspicio primum subeuntem ita perculit, ut non
Tam species positusque loci, quam grata recursans
Menti summa Viri virtus me ceperit. ergo
Huc ne frequens olim se se conferre, sinuque
Tullius ille tuo se se abdere, cum procul Urbis
Insanas fugeret turbas fastumque, solebat?
Socraticos ne ille hic libros conscripsit, & almas *Ciceronis quaestiones Tusculanae.*
Largo

(a) Situm Villae Collegii Romani eum ipsum ipsissimum esse, in quo olim M. Tullius Cicero suum Tusculanum ad secessum & otium habebat, & ubi *Quaestiones illas suas Tusculanas* scripsit, probat invictissimis argumentis Jo. Lucas Zuzzerius e Soc. Je., in prima e duabus, quas vocat, dissertationibus editis an. 1746. Venetiis. Utinam ingeniosissimo juveni, & rerum antiquarum peritissimo diu vitam propagare licuisset! par utique maximis, qui in studio antiquitatis excelluerunt, Viris evasisset. Sed immatura morte praereptus, summum sui desiderium, & unica illa duo, de quibus modo mentionem fecimus, ingenii atque eruditionis suae reliquit monumenta. Caeterum Villae agro conterminum aedificium est, quod etiamnum a popularibus omnibus, immo vero a ruricolis & bubulcis *Scholae Ciceronis* appellatur; appellatione antiquissima, quae longa ac nunquam intercisa derivatione ad nostra usque tempora profluxit. Quod genus veracissimi testimonii in rebus ab aetate nostra remotissimis, & densis antiquitatis tenebris involutis, magni ponderis existimandum esse censeo; & conjecturis, quae plerumque leves sunt & fallaces, jure ac merito anteponendum.

Largo fudit opes de pectore, queis Latium omne
Ditavit, docuitque metus contemnere, & acres
Curarum morſus, & inexorabile lethum.

Deſiderium perpetuae commorationis.

O! mihi ſi detur non ullo tempore, caro
Divelli hoſpitio! captarem frigus & umbras
Hic ſolus, placidumque lubens inglorius aevum
Exigerem; longe ſtrepitus & fumus inanis,
Longe hinc vana forent dominae ſpectacula Romae.
Quod ſi tantum otj negat indulgentia Divum;
At licet, ingratae poſt taedia longa palaeſtrae,
Immodicoſque aeſtus, cum primum lenior aura

Autumno ineunte rus adeundi facultas.

Spirat, & Autumnus (a) mediis caput exerit arvis
Pampineum caput, & pomis redimitus & uvis,
Ire licet, pube indocili & procul urbe relicta,
Quo, jam confectum curis fractumque labore,
Dudum vota animi deſideriumque ferebant.

Quies & otium.

Ut ventum eſt; triſtis Curarum turba reſiſtit
In foribus; nec ſedem intra importuna beatam
Audet ferre pedem, vetitoſque intrare receſſus.
Occurſant jucunda Quies, atque alma Voluptas
Diva loci praeſes, quam Luſus mille ſequuti,
Luſuſque, innocuique Sales, liquidique Lepores,
Hinc atque hinc lateri glomerantur, & agmine facto
Incedunt una, & dominam comitantur euntem.

Ac

(a) Autumno ineunte Collegii Romani Doctores Villam Tuſculanam petere ſolent otio fruituri, laboribus graviſſimis, quibus per totum annum perfuncti ſunt, jure conceſſo.

Curarum levamen.

Ac jam ſollicitis ſolvunt ſe pectora curis,
Jamque animus ſpatiis obſtantia clauſtra refringit,
Impatienſque morae, campos & nactus apertos,
Liber, ovans, exſultat; uti praeſepia vinclis
Cum fugit abruptis ſonipes, aut victor in arva
Excuſſo ſeſſore volat; cervicibus alte
Emicat arrectis; ludunt per colla ſolutae,
Luxuriantque comae; reſonant hinnitibus agri.

Vitae genus paullo liberius licet inſtituere.

Hic licet intentum laxare remiſſius arcum,
Et, ſtudiis procul auſteris abſiſtere juſſis,
Otia blanda ſequi. datur hic ſimul aethera purum
Ducere liberius, ſimul & componere vitam,
Ut magis arridet, non interdicitur. ergo
Aut ſomnos juvat ad multam producere lucem;
Aut matutini praevertere lumina ſolis,
Et Zephyros captare leves, cum mane ſereno
Aurorae antevolant currus, atque aëre ludunt.

Ceſſatio a munere docendi.

Hic nihil eſt, animum quod carpat, quodque ſalubre
Inficiat caelum, tranquilla vel otia turbet.
Non aeris ſonus ingrati de turre vocantis
Palladiam auditur conſueta ad penſa juventam,
Doctoremque una, qui duro in munere totam
Contrivit miſer aetatem (a); non garrula circum

Ob-

(a) Auctor in laborioſiſſimo atque aerumnoſiſſimo docendi munere, meliorem aetatem exegit, & totos viginti ſeptem annos conſumpſit. Quandiu vero Romae Rhetoricam docuit, magna floruit auditorum frequen-

Obſtrepit, & feſſas pubes diverberat aures.
Quanquam hoc de numero noſtri ornamenta lycei,
Et duri quondam ſolatia muneris, hic vos
Et vobis ſimiles aequum eſt excerpere; origo
Quos commendabat non ſolum clara; ſed ardens
Diſcendi ſtudium in primis, atque *unica virtus*
Nobilitas. omnes cepiſtis debita veſtrae
Praemia virtuti & ſpectatis moribus; uno
Excepto tantum, flevit quem Gallia raptum
Ante diem, primoque elatum flore juventae.
  Verum ut ſedulitas diſcentum attenta docentem
Allevet, & duros poſſit lenire labores,
Vitae ratio ab auctore instituti solita. Longe alia hic vitae, qua non jucundior ulla,
Eſt ratio (a). Sacro perfecto munere primum,
Parietibus ſeptum, qui me mihi vivere aventem
Secernunt turba, ſpumans ubi proluit ora
Nectareus liquor ille, aganippidos Hippocrenes
Quem fonti Aoniae modo ſuffecere Sorores;

Scri-

quentia, inter quos multi ex primaria tum romana tum extera nobilitate numerabantur. Horum indicem texere & longum nimis eſſet, & ſupervacaneum. Atque hi quidem fere omnes nunc ad ſummos honores evecti ſunt; uno tantum, ut ait poeta, excepto, quem immatura mors abſtulit. Is eſt Fridericus Columna, qui fratrem, nunc S. R. E. Cardinalem ampliſſimum, tunc Pontificium ad Chriſtianiſſimum Regem Legatum ſequutus Pariſiis non ſine bonorum omnium luctu ob eximias nobiliſſimi juvenis virtutes elatus eſt.

(a) Vitae ratio, quae hic ab auctore deſcribitur, non eſt ex ingenio conficta, ſed uti re ipſa ab eodem inſtitui ac teneri ſolet, fideliter expoſita.

Scribere tunc versus juvat, aut versare Poëtas (*a*)
Lectos e paucis, & Phoebo digna loquutos.

Poetarum lectio.

Quam

(*a*) In longa hac Poetarum ac clarorum Virorum e Societate Jesu, quos auctor persequitur, enumeratione fortasse a nonnullis affectatae ostentationis notam incurrisse judicabitur. Sed hanc ipsam notam, turpem sane atque odiosam, facili negotio poeta noster a se deprecatur, idoneorum auctorum, quos sequutus est, exemplo, tum externo, tum domestico. Atque externum quidem exemplum ei praebuit celeberrimus Poeta Areostus, qui *Orlandi* sui cantico quadragesimo sexto bene longam Virorum ac Foeminarum illustrium, aut familiarium seriem contexuit. Idem praestitit Petrus Angelius Bargaeus nobilissimus Poeta Latinus, lib.4. *Cynegeticon*, ubi, captata occasione, Navagerios, Vidas, Casas, Fracastorios, Varchios enumerat, & copiose laudat. Bernardus vero Tassus dimidiam centesimi cantici, quod egregii Poematis, *Amadis* inscripti, postremum est, partem in recensione illustrium sui temporis Virorum ac Foeminarum consumit. Multa cum in toto Poemate, tum in hoc ipso cantico ab Auctore dicta praeclare; illud vero praeclarissimum, quod, opinor, a poetae nostri sententia non abhorret; nimirum, si cui prolixa fortasse nimis & longior ab se instituta enumeratio fastidium creet, facile, praetermissis aliquot paginis, huic incommodo occurri posse. Placet hoc loco Tassi ipsius carmina afferre

Se ad alcun par, che il tempo abbia consunto
In lodar questa Dama, e quel Signore
In van; passin tre carte appunto appunto,
Ne mi dian biasmo, onde n' attendo onore;
L' esser da cortesia sceuro, e disgiunto
Non è di generoso, e nobil core;
Anzi mi doglio non poter memoria
Di molti far, che son degni di gloria.

Hoc vero, quod his postremis versibus queritur Tassus, se nempe plurimorum, quos nominare voluisset, cum laude mentionem facere non posse; id quoque est hujusmodi, ut ad Parthenii nostri ingenium prolatum, ejusque sentiendi rationi maxime consentaneum sit, qui quidem vehementer dolet se multos, tum ex domesticis, tum vero praecipue ex externis

omni

Quam jucunda meum perfundunt gaudia pectus ;
Delphice vel tua , vel tua cum , *Roberte* , legendo
Carmina non satior . quae vis ! quae gratia utrisque
Diffi-

omni certe laude cumulatissimos coactum praeterire.

Atque haec quidē externa exempla sunt . domestica vero auctori nostro suppeditarunt , & Jacobus Wallius , & Sidronius Hoschius, & Mathias Sarbievius , & omnium recentissimus Jacobus Vanierius , Poetae omnes egregii atque illustres , qui & ipsi amicos sodales suos , aut poetica laude praestantes , aut alio quovis doctrinae genere insignes , commemorant , & meritis laudibus ornare minime dubitant. His adcensendus est Joannes Mariana , qui suos , quos habuit in Collegio Romano, contubernales, quandiu in eo diversatus est , longa & ipse enumeratione , nec sine elogio , recenset in praefatione ad V. Card. Bellarminum , quam prefixit scholiis suis ad vetus & novum Testamentum Lutetiae Parisiorum impressis an. 1520. Quare poeta noster minime reprehendendus est, qui quod fecit , tot gravissimorum doctissimorumque Virorum exemplo praeeunte fecit . Virtutis enim ac sapientiae ea natura ac meritum est , ut a quovis , in quoqunque ea tandem eniteat , jure laudari & possit & debeat. Qui alium laudat , modo vere laudet , non se ipse laudat , quod odiosum certe est , & ingenuo ac liberali homine indignum ; neque vero si ex communione vitae aut sodalitii aliquid laudis in ipsum laudatorem recidere videatur , id est hujusmodi , ut insulsa atque inepta quadam modestia a merita perspectae virtuti laude tribuenda , quenquam debeat deterrere .

Non autem est hoc loco omittenda res , observatione utique digna , quod fere omnes , qui in tam longa enumeratione clari recensentur e Societate Jesu Viri , aut magistros , aut condiscipulos , aut collegas , aut conturbernales , aut certe amicos , & de facie cognitos auctor habuit , quampaucissimis exceptis , quorum tantum ad eum delata sunt opera , aut fama pervenit . Ego vero , qui has adnotationes scribo , singulorum nomina subjiciam , & unum tantum , aut alterum ex iis , quae ediderunt, operibus , brevitatis causa , proferam , prout indicatio ipsa de opere aliquo ab auctore facta admonebit . Neque enim mei instituti est operum ab unoquoque editorum absolutum perfectumque catalogum concinnare .

Dissimili in genere ! ut similes nolim ; usque adeo mens
Afficitur mire , & vario discrimine gaudet .
Alter (*a*) enim dignum sortitus Apolline nomen , *Xaverius Bettinellus.*
Os animum que Deo plenus , trans nubila fertur
Pindaricum per iter gradiens sublime ; jacentes
Sub pedibus terrae vanescunt ; altius ille
Evolat , & celeri tendit super aethera penna .
Quid ? cum digressus caelo delabitur imos
Ad manes, penetratque profundum acheronta? quid?idem
Divina pollens cum rebus inanibus arte
Phoebeam inspiratque animam , inducitque loquentes.
At purus liquidusque lepos, atque ipsa venustas *Joannes Baptista Robertus.*
Est alter (*b*) , cum pingit humi nascentia fraga ,
Et tanto Aonidum perspergens nectare condit ,
Ut non illa magis sapiant jucunda palato ,
Cum large mensis praedulci pulvere sparsa
Album purpureo superinduxere colorem ,

P Et

(*a*) Xaverius Bettinellus sub nomine Diodori Delphici italica sua Poemata edidit an.1755. Mediolani,typis Marellianis . Qui hunc praestantissimum Poetam legerit, talem profecto, qualis hic ab auctore nostro describitur , agnoscet , ut jure clarissimis duobus illis italicae Poesis luminibus Frugonio , & Algarotio tertius adcenseri meruerit .

(*b*) Joannes Baptista Robertus, Orator excellens & Poeta elegantissimus plura in utriusque facultatis genere scripsit & vulgavit , atque adeo in dies scribit atque evulgat . Inter caetera , venustissimum ejus exstat Poema italicum *de Fragis* , in quo mira vis ingenii certat cum elegantia sermonis . Editum hoc Poema fuit Bononiae , anno 1752. recusum Mediolani anno 1754. Habemus etiam ejusdem latinos Hendecasyllabos , qui auctoris in latina quoque Poesi singularem praestantiam docent .

Et vero interdum menti calor incidit ; ut cum
Aſpicit Harmoniam (*a*) ſtellata in ſede ſedentem ,
Sidereaſque vices , Lunae Soliſque meatus ,
Et varios certis moderantem legibus orbes
Concentu ſummo ; tum conſectatur eandem
Longe diffuſam lateque per omnia , nec non
Cuncta adſtringentem numeris ; ac denique eburno
Pectine pulſantem cytharam audit , & ore cientem
Dulce melos . tam jucundo quae carmine Vates
Perſequitur , liquidiſque modis , ut jure videri
Paene ipſam queat Harmoniam ſuperare canendo .
Carolus Rotius. Nec minus illectum capis , & me ſaepe legendo
Culte tenes *Roti* (*b*) ; ſeu plores fata Phegauli ,

Seu

(*a*) Aliud indicatur Poema italicum ejuſdem auctoris *Harmonia* inſcriptum . Prodiit Bononiae apud Laelium della Volpe 1752. Hoc autem loco minime praetermittenda eſt ejus venuſtiſſima oratio habita ab ipſo in Bononienſi Accademia, quam *Inſtitutum* vocant . Oratio eſt de Picturae , Sculpturae , Architecturae artibus ; tanta autem harum ipſarum artium tamque intima reconditaque cognitione perſcripta , tanto etruſci ſermonis nitore elaborata , ut eam ſemel , iterum , tertio, atque eo ſaepius legerim , nec vero ſatiari potuerim . Atque hujus quidem eloquentiſſimae orationis majus a me praeconium fieri non poſſe video , quam ſi eam cum diſertiſſima Laſteſii epiſtola , de qua ſupra mentionem feci , conferam ; etenim , quod latino ſermone Laſteſius , etruſco Robertus perfecit , ſingulari uterque & rerum , quas tractant , peritia, & eximia ſermonis , qua res ipſas efferunt , elegantia .

(*b*) Carolus Rotius in Arte Rhetorica praeceptor auctoris , Orator excellens & Poeta nobilis . Aliquot ejus elegiarum argumenta hic indicantur . Phegauli nomine intelligendus eſt Joannes Baptiſta Fagiuolius Florentinus , qui eo carminis genere , quod *Berneſcum* appellant , maxime excel-

Seu Cererem laudes; ſeu munere Vatis (*a*) amici
Oppreſſus, ſubitas perſolvas carmine grates,
Denique ad affuſos facias ſeu verba Quirites.
Tum recolens animo felicia tempora, cum me
Egregius pulcras formabas doctor ad artes;
Depaſcor paſſim veneres atque aurea dicta,
Meque mei ad normam doctoris fingere conor.
Progredior connexa legens, quae tu ipſe Camoenis
Attexenda tuis curaſti; atque illa legenti
Splendida Apollinei occurrunt duo lumina coetus
Egregii Vates (*b*), & Phoebi numine pleni.

Alphonſus Nicolai & Bartholomaeus Boſcovichius.

P 2 Incer-

celluit. Vix Rotii carmina in publicam lucem prodierunt, non defuere, qui haec Ovidiano ſtylo conſcripta eſſe vulgarunt; quaſi vero Ovidii rationem ſequi atque imitari recte ac cum laude nemo poſſet. Caeterum elegantiſſimus hic Poeta *Ovidianus* non eſt; ſed ejus fere carmina ad Tibulli nitorem, interdum etiam ad Propertii majeſtatem accedunt; nec vero non Catullum ipſum imitatus eſt in nonnullis elegiis, ut in ea, quam initio operis Joanni Antonio Vulpio ſcribit, & in ea, qua Phegauli funus deflet, & amiciſſimum ſui Poetam merita laude celebrat.

(*a*) Innuitur hic Franciſcus Grimaldus, Rotii amicus, & Poeta excellens. Quae laus *Ovidiani* perperam Carolo Rotio afficta eſt, Franciſco Grimaldo jure optimo tribuendam eſſe cenſeo. Grimaldum enim *Ovidianum* eſſe & ajo, & admiror. Difficillimum quippe eſt Ovidium probe imitari, & ita duas res, quae in Ovidio eminent, temperare, ut nihil facilitas carminis de nobilitate detrahat, nihil nobilitas de facilitate decerpat. Scripſit Grimaldus & edidit tria carminum volumina, primum *de Vita Urbana*, alterum *de Vita Oeconomica*, tertium *de Vita Aulica*. prodierunt Romae diverſis annis, nimirum 1725. 1738. 1741.

(*a*) Intelligenda ſunt carmina Alfonſi Nicolai, & Bartholomei Boſchovichii, Rogerii fratris. De Alphonſo Nicolajo, Theologo Caeſareo, & Sacrae Scripturae in Collegio Florentino Interprete diſertiſſimo multa

Incertum est primam mereat quis laude coronam.
Par lepor ambobus, par gratia, parque duorum
Est meritum, quos tecum una decus ille Palestrae
Vulpius Euganeae formis decoraret iisdem,
Queis impressa nitent summorum carmina Vatum.
Te quoque saepe manu, Charitum pater, atque Leporum
Jacobus Bassanus. O *Bassane* (*a*), tero, qui lingua doctus utraque
Et latia & tusca varios Heliconis Alumnas
Induere ornatus, utranque & sumere pallam,
Ausoniam facis, & grato discrimine tuscam.
Quin etiam, subitus cum sic tulit ardor, easdem
Interdum omnino incomptas, nulloque paratu
Conspicuas prodire jubes; sed qua libet arte
Componas, aut quo tu cunque incedere cultu

Jusse-

multa exstant publici juris facta, ac praesertim eruditissimi in SacramScripturam Commentarii, pluribus voluminibus comprehensi, & diversis annis Florentiae editi. Porro horum duorum carmina una cum carminibus Rotii prodierunt typis Cominianis an. 1741., curante venustissimam & nitidissimam editionem Joanne Antonio Vulpio, Viro doctissimo, & de Humanioribus litteris benemerentissimo.

(*a*) Jacobus Bassanus summa & egregii Poetae, & praestantissimi Oratoris laude floruit. Ejus elegantissima carmina tum latina tum italica una cum ipsius vita vulganda curavit Patavii an. 1749. Joannes Baptista Robertus, supra a nobis laudatus. Locus Poetae nostri, in quo ait, Bassanum jubere interdum Musas prodire incomptas, de eo Poematum genere intelligendus est, quae humiliore quodam, & prope ad familiarem sermonem accedente stylo conscripta a Bassano sunt. Quod quidem Poematis genus cum in primis lepidum ac venustum habetur propter nativam quandam simplicitatem, nullis adscitis exquisitae artis pigmentis fucatam, tum vero propter hanc eandem ipsam causam maxime difficile ac laboriosum est.

Jusseris, aeque oculos rapiunt, & pectora mulcent.
Nec te non soleo dextra versare frequenti,
Optime *Burgundi* (*a*), docto qui carmine plures
Persequeris Physicae partes; liquidum aëra nempe

Horatius Burgundius.

P 3 Quo

(*a*) Horatius Burgundius, Vir in facultate Mathematica insignis, quam viginti septem annos in Collegio Romano professus est, septem edidit philosophica Poemata, magno in pretio ab eruditis ac doctis Viris habita, quae hic ab auctore indicantur. 1. De Volatu. 2. De Natatu. 3. De Incessu. 4. De Motu sanguinis. 5. De Respiratione. 6. De Fluminibus. 7. De Lue bovina. Horum prima quatuor leguntur tomo 1., qui inscribitur *Carmina Pastorum Arcadum*, Romae edito an. 1721. Consequentia duo leguntur tomo 2. eorundem carminum edito Romae an. 1756. Postremum exstat tomo 3. pag. 64. operum clarissimi Valisnerii. Plures etiam edidit Mathematicas, quas vocant, dissertationes, quarum notitiam si quis velit, Ladvocatum adeat, & tomum primum ejus Dictionarii Historici consulat. Burgundii perhonorificam Ephemerides Trevoltianae an. 1727. mentionem faciunt. Soucietus item in opere, quod inscripsit *Observations Mathematiques* egregium de Burgundii doctrina testimonium reliquit. Venustissimum etiam exstat Hendecasyllabum in ejus funere a Joanne Baptista Rob erto, de quo supra mentionem cum laude fecimus, conscriptum. Neque vero in postrema Burgundii laude, ponendum est, quod Rogerum Boscovichium, cum Mathematicam doceret, discipulum habuerit, eundemque in eadem facultate tradenda sibimet ipse sufficiendum curaverit. Vir fuit plane egregius, & ob singularem doctrinam, & vero multo magis ob eximiam pietatem immortali memoria dignus. Natus erat Brixiae illustri Familia; contempta generis nobilitate Societati Jesu adscribi voluit, in eaque uti sanctissime vixit, ita religiosissime decessit an. 1741. Rector Collegii Romani. ejus funus omnes Collegii Alumni singulari doloris significatione prosequuti sunt; juniores praesertim, quibus ob suavissimos mores erat carissimus; horum efflagitatu ejus imago, inter illustrium Virorum, qui Collegium Romanuum honestarunt imagines, collocata fuit. Parthenius vero noster, singularem erga se optimi Patris benevolentiam olim expertus oblatam hanc, perhonorificam de tanto Viro mentionem faciendi, opportunitatem elabi sibi minime passus est. Obiit autem, uti diximus anno 1741. Kalendis Martii.

Quo pacto volucres, quo findant aequora pisces;
Incedant qua lege homines, qua lege reponant
Crura ferae; qui sint moduli, quibus actus oberret
Venas, & toto fundatur corpore sanguis;
Unde micat certo saliens arteria pulsu.
Tum super haec certum teneant quem flumina cursum
Addis, & attractus veniat quî pectore ab alto
Spiritus, exponis; demum quae tabida pestis
Corripiens armenta boum det funera passim,
Sternat & insontes indigna morte juvencos.
Haec unus tam multa doces; tam multa docentem
Indivisa comes, lateri quae semper adhaesit
Fida tuo, haud unquam passa est errare Mathesis.
Januarius Sanchez de Luna. Quid? veterum siquando trium divertere ad hortos
Vatum (a), perpetuis halantes floribus hortos,
Et juvat electum Musis contexere sertum.
Tu mihi, praecisis, qui possent, sentibus aspris
Obsepire viam, aut incautum laedere, callem
Commonstras tutum, clarum cui Cinthia nomen
Clara dedit; praesens nivei o! tutela pudoris,

O!

(a) Januarius Sanchez de Luna Neapolitanus indicatur. Edidit is Neapoli an.1757. egregium Commentarium in Catullum, Tibullum & Propertium, quo in Commentario, praeterquamquod locis obscurioribus lucem attulit, adolescentium pudicitiae cavit, amputando videlicet, quae parum honesta in lascivientibus hisce Poetis passim occurrunt, & quae non sine gravi offensione ab incauta praesertim juventute leguntur. Edidit praeterea grammaticas Grecae linguae praeceptiones, magno in pretio habitas, & vulgo expetitas. Nunc Philosophiam in Collegio Neapolitano docet, magna ingenii fama, nec minore auditorum frequentia.

O! noſtrae decus eximium, & pars maxima famae.
Nec minus oſtendis tutum per devia callem
Tu mihi, *Venturi* (a), cum ſubterranea tuſci
Clauſtra lubet penetrare Ennj; tu crimina, ſontes,
Poenarumque doces formas & nomina mille
Ignarum. duce te Ditis per ſquallida regna,
Et formidandam tetra caligine noctem
Securus gradior; non ut, praeeunte Sibylla,
Certior Aeneas eadem loca viſerit, omneſque
Oras tartarei quondam peragrarit Averni.
Me quoque confines per tractus ducis, ubi igni
Lento exercentur, regio quibus altera ſummo
Certa polo debetur; ſed non ante volare
Illuc conceſſum, prorſus quam quidquid inhaeſit
Terrenae faecis, labeſque exceſſerit omnis.
At vero, aethereas caeli remeare ſub auras
Cum placet, & ſuperum coetus luſtrare beatos,
Idem rurſus ades, perque omnia ducis, aventem
Diſcere; felices animas quae digna receptet

Pompejus Venturius.

 Sedes,

(a) Pompejus Venturius, acerrimi ingenii & judicii Vir, luculentiſſimum Commentarium edidit in Dantem Aligherium, ſaepius recuſum atque omnium paenae manibus tritum; noviſſima hujus Commentarii impreſſio facta eſt Venetiis 1760. Reliquit opus nondum editum, nec fortaſſe edendum, multis voluminibus comprehenſum, ac longo ſtudio ſubactum atque elaboratum, de Univerſa poeticae Artis ratione; in quo etiam quid ipſe de Poetis omnibus (omnes autem Graecos, & Latinos, & Italos, & externos & domeſticos legerat) quid, inquam, ipſe ſentiret, libere non minus, quam vere pronuntiavit.

Sedes, atque pios maneant quae praemia manes.
Emanuel de Azevedo. At ſi fert animus per caerula nare phaſelo,
Adriaci Regina maris qua gurgite ſe ſe
E medio attollit, comitem me protinus addo,
Azevede (*a*), tibi, cymbaque invectus eadem
Tecum una artificumque manus operumque laborem,
Fortunas & opes, auguſtaque templa ſuperbae
Urbis demiror, luſtro navalia; tum qui
Sint mores hominum, quae ſit ſollertia gentis,
Qui luſus feſtique dies, ſpectacula, pompae
Ediſco. tu dulce canis, meque inſtruis una;
Aſt ego non rebus magis aſpectuque beatae
Urbis, quam liquidi teneor dulcedine cantus.
Stephanus Raffejus. Quid referam, tragico (*b*) ſiquando ſcena cothurno
Me

(*a*) Indicatur opus poeticum ab Emanuele de Azevedo Luſitano confectum, & in libros 12. diſtributum, atque ab auctore noſtro perlectum. Opus eſt in ſuo genere plane ſingulare, atque hujuſmodi, ut abſolutiſſimam Venetiarum notitiam legentibus exhibeat. Poeta hoſpitem navicula, ſic enim fingit, ſecum comiter exceptum per urbem circumfert, & videndi cupido nobiliſſima quaeque magnificentiſſimae urbis demonſtrat. In exponendis vero praecipuis iiſque difficillimis artefactis, tanta tamque admiranda ingenii felicitate utitur, ut, ſiquis delicatioris guſtus in ſtylo notandum aliquid, quod nos etiam, qui opus vidimus, notati poſſe non diffitemur, inveniat, idem tamen eadem quo tandem cumque ſtylo conari, nedum perficere ſe poſſe omnino deſperet.

(*b*) Tragoediae tres hic indicantur a Stephano Raffejo confectae; & in Seminarii Romani theatro exhibitae, ac ſummo plauſu exceptae. Prodierunt Romae typis Generoſi Salomonii annis 1763. & 1764. Harum prima *Joannes Columna*, altera *Flavius Clemens*, tertia *Amicitiae Triumphus* inſcribitur. His addit

Me capiat, caros inter certamen Amicos,
Aut ſacra de ſolymis Romam adſportata Trophaea,
Aut ille e ſuperis excitus Flavius oris,
Quantum delectent? geminos his addito Reges
Judaea de ſtirpe, Syracoſiumque Dionem,
Et pulcram Eſtherem, & bellatorem Mathatiam.
Euripidem videor mihi paene audire loquentem,
Rurſus ab elyſiis revocatum ad pulpita campis.
Cerno conſeſſum caveae, plauſumque frequentis
Auribus excipio, turba ſtipante, theatri
Per cuneos late reſonantem; laetor & una
Tales eſſe viros, tantum quibus itala ſcena
Debeat, ut grajae jam ſe efferat aemula laudi.

Tragoedie variae.

Quod ſi alio interdum libeat me vertere, Muſis
Poſthabitis, unus, *Juli* (*a*), mihi ſufficis, unde
Dele-

Julius Caeſar Cordara Hiſtoricus Soc. Je.

dit poeta noſter alias tragoedias quinque, quarum primae tres *Sedecias* videlicet, *Manaſſes*, & *Dion Syracuſanus* ab earum auctore, Joanne Baptiſta Granellio, Oratore tota Italia celeberrimo, Bononiae editae ſunt an. 1754. reliquae poſteriores duae, nempe *Eſther* & *Mathatias* a Joſepho Carpano, dequo infra redibit ſermo, conſcriptae ſunt.

(*a*) De Julio Ceſare Cordara, qui hoc loco copioſe & merito laudatur, nihil dicam, propterea quia ejus opera in manibus omnium ſunt, & nihil fere a foecundiſſimi atque elegantiſſimi ingenii Viro prodeat, quod non cupidiſſime legatur. Exſtat *Hiſtoriae Societatis Jeſu* ab ipſo conſcriptae ingens volumen, editum Romae 1750. Reliqua duo volumina, quae ſpatium regiminis Mutii Vitelleſchii Praepoſiti olim Generalis Societatis Jeſu conficerent, Societas univerſa ab eodem cupidiſſime exſpectat. Quod autem poeta hoc eodem loco de ſuo videtur addidiſſe, cum exclamat. *Proh hominum Superumque fidem*! & reliqua. hoc ita de ſuo non addidit, ut potius non propria, ſed aliena lingua loquutus dici

Delecter, docearque; tuis qui fortia facta,
Factaque, virtutesque, exantlatosque labores
Complexus scriptis Sociorum, insigniter ornas,
Et rebus magnis per se atque illustribus, addis
Egregium decus, atque aeternae laudis honorem.
Proh hominum superumque fidem! qua pertinet orbis,
Angulus anne usquam est? anne ulla remotior ora,
Sepositusque locus, trans littora, transque refusum
Abditus oceanum, quo non pervaserit alma
Lojolidum manus, & sparso quem sanguine, certe
Quem non ubertim sudore rigarit, ubique
Sacra ferens, cultumque & veri Numinis aras?
Quanquam non solum annales componere doctus,
Sed fidium cytharaeque potens, es maximus idem
Vates, cui paucos similes vix singula, verum
Laude in utraque parem nulla hactenus extulit aetas.
Jam vero sacri si me improvisa voluptas
Ceperit eloquii, te protinus omnibus unum

Tor-

dici debeat. Clemens quidem VIII. Pont. Max. cum coetum suffragatorum, qui Romam, ex Societate universa delecti, novi Praepositi Generalis creandi causa venerant, ad suos pedes abjectum alloqueretur, Virgilianum illud usurpavit, *Quae regio in terris vestri non plena laboris?* in hunc forme modum passim summi Viri immo Heterodoxi ipsi locuti sunt, id quod innumerabilibus testimoniis confirmari potest ex recentissimo Hieronymi Lagomarsini opere, in quo similia testimonia, inde usque ab initio Societatis repetita, ordine Chronologico, ad nostram hanc aetatem perpetua nec unquam interrupta annorum serie digesta sunt.

Tornielle (*a*) antefero, naturae munere quotquot
Praestantes lingua, nostra haec aetate diserti
Exstiterunt; primis te jam mirabar ab annis,
Patria turritae colerem cum tecta Cremonae,
Ardebamque audire virum, cupidaque bibebam

Hieronymus Torniellus.

Aure

(*a*) Hieronymus Torniellus Orator disertissimus, cui quidem ego ab italicae eloquentiae parente Paulo Segnero primas defero. Ejus Conciones, quas vocant Quadragesimales, prodierunt Mediolani an. 1753., quae passim, nec sine admiratione leguntur. Non enim vivam Oratoris vocem actionemque magnopere desiderant; adeo eloquentia ipsa verbis ipsis ac sententiis ingenita lectorem per se tenet, & mirifica quadam voluptate perfundit. Quanquam proximis hisce annis novum quoddam italicae eloquentiae genus suspeximus in duobus disertissimis Viris Ignatio *Venino*, & Antonio Syro *Vanino*, quorum conciones typis impressae cum in manus hominum venerint, non dubito fore, quin bene multi, quanvis ad copiose ornateque dicendum & natura & studio comparati, de provehenda ulterius italica eloquentia desperent. Studium eloquentiae Torniellus cum poetica laude conjunxit. Fuit enim Poeta insignis, & poetici lepores in ipsis suis concionibus elucent. Scripsit vernacula Mediolanensi lingua Poemata aliquot, quibus nihil memini me legisse venustius; quae quidem optandum esset ut ederentur; uti jam inde ab anno 1738. edita Mediolani fuerunt septem alia ejusdem Poemata italice conscripta, quae cum iis, quorum paullo ante meminimus, venustate certant. Horum Poematum inscriptio est hujusmodi; *Sette Canzonette in aria marinaresca sopra le sette principali Feste di Nostra Signora, composte da un Religioso della Compagnia di Gesù*. Cum vero an. 1752. Bononiae Torniellus Quadragesimales conciones habuisset, & summa cum admiratione auditus esset, tanto Oratori gratificandi causa haec ipsa Poemata eodem anno, atque eadem in urbe recusa sunt. Non defuerunt, qui, captata hujus secundae editionis occasione, eadem Poemata carperent, quare eorum defensio necessario suscipienda fuit. Id autem perfectum est eruditissima epistola, Neapoli impressa an. 1759., in qua praeclarissima doctissimorum Virorum de his Poematis judicia ac testimonia, summa cum ipsius Tornielli laude atque existimatione, proferuntur.

Aure melos; tum post eadem vexilla sequuto,
Tartareas contra furias, gentemque rebellem
Clavigeri imperio, quae Cantaber extulit Heros,
Facundo licuit pendere loquentis ab ore
Rursus, & ambrosios haurire e fonte liquores.
Attica namque fluit tua dulci oratio melle
Dulcior, atque tuis ipsae, quas semper amasti,
Pimplaeum dictis Musae allevere leporem.

Aurelius Rezzonicus. Nec minus eloquii in genere excellentia eodem
Suspiciens tua scripta lego *Rezzonice* (*a*), dotes
Qui varias inter, quibus & distingueris, & quas
Tam bene commendat adjuncta modestia, Summum
Attingis propius generosa stirpe Parentem;
CLEMENTEM nempe; Alma, diu quo sospite, Roma
Corruptos prorsus mores eversaque Sacra
Haud certe metuet; constanti in pectore fervet
Tantus amor Fidei, atque adeo commissa Latini
Jura sibi Imperii cum Relligione tuetur.
Sed me densa nimis circumstat turba (*b*), suique
Inge-

(*a*) Aurelius Rezzonicus Rector Seminarii Romani, Concionator egregius, eloquentia non minus, ac doctrina, quam reliquis animi dotibus, ac singulari praesertim modestia, quae quidem totius nobilissimae Rezzonicae gentis veluti propria virtus est, commendatissimus. Edidit sacras orationes elegantes duas, & castigatissima etrusca lingua conscriptas, unam de laudibus S. Catharinae Virginis & Martyris, Venetiis an. 1762. alteram de implorando austriacis exercitibus B. Mariae patrocinio, Mediolani an. 1764.

(*b*) Hic plures Societatis Scriptores a poeta nostro coacervantur, de quibus ego quoque pauca perstringam.

Gui-

Ingenii certatim offert monumenta, cedroque
Digna immortali, veterumque aequantia famam
Scripta. mihi Eugenium *Ferrarius*, & mihi Crispum
Savius, & *Cantova* italo sermone loquentem
Tullium, & etruscis, quae lusit Theïus olim
Vates, nunc donata modis *Ridolfius*. adde his
Plurima, quae in lucem cura prodire recenti

Auctores varii.

Non

Guido Ferrarius scripsit aureo ac caesariano stylo *de Rebus in Pannonia ab Eugenio gestis*. Prodiit opus hoc Hagae in Batavis an. 1749. Petrus Savius Bellum Catilinarium a Salustio latine scriptum, in mundissimum etruscum sermonem transtulit, & Augustae Taurinorum edidit an. 1763. Joannes Antonius Cantova aliquot Ciceronis orationes in etruscum item sermonem non inferiori elegantia convertit, & vulgavit an. 1765. Christophorus Ridolfius selecta ex Anacreonte graeca carmina, & selecta item ex Iliade Homeri etruscis carminibus eleganter expressit, & Venetiis edidit an. 1765. Atque hos quidem auctores, eorumque opera nominatim Poeta recenset; eorum vero, quos generatim complectitur, ne id perperam fecisse videatur, & nomina, & opera recentissime impressa, hic subjiciemus. Carolus Sanseverinus *Contentionem Philosophiae Paganorum cum evangelica & christiana Philosophia edidit Bononiae ann.* 1764. Guido Ferrarius supra laudatus volumen primum Inscriptionum & Epistolarum edidit Mediolani an. 1765. Joannes Caraciolus edidit Neapoli eodem an. 1765. *Isagogen* in universam Mathesim ad usum Academiae Partheniae. Bononiae aliam Tragediam *Seila filia Jephte* inscriptam nuperrime in lucem emisit Joannes Baptista Granellius, cujus etiam Enarrationum in Sacram Scripturam primus tomus prodiit Parmae an. 1766. Vulgatum item hoc eodem anno est Mediolani ab Hieronymo Tiraboschio in Braydensi Universitate Rhetore, opus recondita eruditione refertum & singulari sermonis elegantia conscriptum, quo in opere vetera Humiliatorum monumenta collegit, eaque adnotationibus dissertationibusque illustravit. Nos vero multa alia opera quam recentissima editione vulgata, quae recenseri possent, quorumque notitia ad nos pervenit, brevitatis causa omittimus.

Auctoris egressus e villa in praedium.

Non cessant vario in genere , & quae , debita quando
Sit merito auctori sua laus , modo lecta probari
Ipsa volunt . aliud verum his in tempus omissis ,
Cunctantem prodire domo jam me admonet hora ,
Hora sequi virides lauris densantibus umbras .
  Hic nova se rerum species , nova scena tuenti
Objicit , & faciles oculos per cuncta ferenti .

Sermones promiscui cum Sociis.

Ut juvat aut Socios vario sermone morari ,
Aut incedentes lente , passimque vagantes
Adspicere , & legere adversos , & quenque notare !
Quid dicam ? loca laeta putes feliciaque arva
Te colere Elysii , lucisque habitare beatis .

Diversa Sociorum studia.

  Pars molli recubant projecti in gramine ; laurus
Imminet , & passae praebent umbracula frondes .
Hic legit , hic presso versus sibi concinit ore ;
Ille gerens pectus Sophia gravidum , ille Mathesi
Multa putant animo , secumque arcana volutant
Naturae , & tardo figunt vestigia passu .
Quid ? qui majores agitantes pectore curas
Secretos longe calles atque avia quaerunt ,
Et sola secum taciti spatiantur in umbra .
Atque hi bella parant , seque exhortantur in arma ,
Jam certos meditati ictus , quibus impia se se
Haeresis exceptam doleat , flatusque remittat .

Ex editiore loco praetereuntes Socios Auctor recognoscit.

  Et vero interdum , si fert ita corde voluptas ,
Conscendo tumulum , & tumulo sublimis ab alto ;

Ut

Ut mihi se se oculis nunc hic, nunc objicit ille,
Ora recognosco, atque adversos perlego vultus (*a*).
Te primum, nostrae moderator summe (*b*) Palestrae
Aëra captantem purum, curasque levantem
Aspicio, agnoscoque libens, tibi laetus Apollo
Ipse lyram plectrumque dedit; labra ipse rigavit
Nectare pierio, & parnasside fronde revinctum
Vatibus adscripsit summis; nec cessit honori,
Muneribusque suis cumulatum dia Minerva
Rectorem docti coetus rerumque magistrum
Legit, & ingenuas ultro tibi subdidit artes.
Proximus ecce subit (*c*) sibi, qui virtute secundam
Palla-

Josephus Carpanus Studiorum Praefectus.

Antonius Casinus S. Scripturae interpres.

(*a*) In hac altera, quam exorditur poeta contubernalium suorum bene longa enumeratione, peccare mihi videtur in primis duobus, quos commemorat, quosque jampridem vita functos reliquis proxime consequentibus, qui adhuc vivunt, anteponit; quod quidem cum serie temporis, quantum fieri poterat servanda, non bene cohaeret. Admonitus poeta hac de re, seriem invertere atque adeo componere noluit, quippe qui diceret, se primum rei veritatem esse sequutum, deinde hominum dignitatis ac loci habuisse rationem. Ego vero hoc magis ad poetae defatigationem, quam ad veram ejusdem ita ex animo loquentis sententiam referendum puto.

(*b*) Josephus Carpanus in Gregoriana Universitate studiorum olim Praefectus, Poeta & Theologus insignis. Ejus Tragoediae latinae septem an. 1750. typis Generosi Salomonii Romae prodierũt. Exhibitae jam olim fuerant in Collegio Germanico & Ungarico a peritissimis actoribus, quippe quos celeberrimus ille Poeta Lorenzinius pro sua cum Carpano amicitia ad actionem informabat; ac proinde incredibili plausu exceptae sunt. Scripsit etiam Carpanus de *Opinione probabili*, *rectoque illius usu*. Opus hoc prodiit Lucae an. 1753.

(*c*) Antonius Casinus Sacrae Scripturae olim Interpres in eadem Universitate, Vir eruditissimus, Graece, Latine & Hebraice apprime sciens, opus

Palladio in coetu meruit ſedem , omnibus unus
Artibus egregiis praeclare inſtructus , & omnium
Gnarus linguarum . nimirum aſſuevit ab ipſo
Potare omnigenam doctrinam fonte , perenni
Unde fluit vena , & pleno ſe proluere hauſtu ;
Aſſidua intentus cura dum verſat , & idem
Explicat interpres divina volumina fidus.

Raymundus Cunichius.

Qui procul ille autem (*a*) , collo cui fiſtula pendet ,
Cui cythara in manibus ; medium facto agmine Muſae
Accipiunt ? noſco , viridem ſpatiantis ad umbram ,
Inceſſum. Tu ille es , quo non felicior alter ,
Sive elegos teneri libeat ceciniſſe Catulli
Ad numerum ; latia ſeu mavis reddere avena ,
Graja olim ſiculus quae luſit arundine Paſtor .
Auſus quin etiam , ſummae ne quid tibi deſit
Ad cumulum laudis , coeptis praeſtantibus ipſum
Meonidem tentare ; atque exſutum ſyrmate achaeo
Argivum Vatem noſtris inſignibus ornas ,
Auſonioque doces paullatim aſſueſcere caelo .
O utinam per te ; tibi nanque hoc poſſe benigni
Annuerunt Divi ; patrias dediſcat Athenas ,

Et La-

opus exquiſita doctrina refertum confecit , & Venetiis an. 1749. vulgandum curavit . Opus autem *Encyclopaedia Sacrae Scripturae* inſcribitur .

(*a*) Carmina Raymundi Cunichii jam in manus Doctorum hominum pervenerunt , qui cum de iis praeclariſſime & ſentiant & loquantur , ſupervacaneum eſt meum de iiſdem judicium ullum hoc loco interponi . Cunichii carmina prodierunt Romae an. 1764. una cum Bernardi Zamagnae de *Echone* egregio carmine .

Et Latio incedat Romana per oppida cultu.
Ni facias (*a*); quam primum itala mirabere eundem — *Josephus Bozzolus.*
Carmina fundentem lingua, & nova verba sonantem;
Et te, praeclaro cunctantem in munere, coepto
Impiger insudans noctemque diemque labori,
Praevertet vigili cura studioque sodalis.
Nec felix minus est (*b*), qui te comitatur amico — *Antonius Ambrogius*
Affixus lateri, tyrrheno carmine Pana,
Et segetes canere, & divini bella Maronis;
Nec non & gnarus latio, impendenda serendis
Hesperidum pomis quae sit cultura, docere.
Praeclaris ambo studiis, & munere linguae
Insignes; meritam tibi laurus plurima frontem
Ambit, odoratae illi cingunt tempora cedri,

(*a*) Hic indicatur Josephus Bozolus, in Collegio Romano Linguae Sanctae Doctor, Vir ingenio, memoria, doctrina, eruditione praestantissimus. Interea dum praeclara quaedam ex multiplici disciplinarum genere opera meditatur atque molitur, quasi animi reficiendi recreandique causa Homeri Poemata, Iliadem atque Odysseam, italice interpretanda, atque eo carminis genere, quod *octavam rimam* Itali appellant, exponenda, suscepit, & Ludovici Areosti styli granditate sibi proposita, utriusque vatis rationem non tam sequitur, quam assequitur; id, quod doctis omnibus ita visum iri, ubi opus in lucem prodierit, sine ulla dubitatione asseveramus, in nosque recipimus.

(*b*) Magnificientissima & recentissima editione annis 1763. 1764. & 1765. Romae iterum prodierunt P. Virgilii opera tribus voluminibus comprehensa, & in Etruscum carmen ab Antonio Ambrogio conversa. Idem nunc habet in manibus Poema latinum de *Citrorum cultura*, quod suo tempore, ut speramus, edetur.

Bernardus Zamagna.

At, qui consequitur (*a*) florens vernante juventa,
Jamque umbrata gerens phoebea tempora fronde
Vates quantus erit, cum firma accesserit aetas,
Si tantum, aucupii accipiter formatus ad artes,
Prima rudimenta ostendunt; quin & modo causas,
Aggressus majora, audet tentare repostas,
Atque ortus Nymphae vocalis carmine pandit,
Ipsa suo plaudens vati longe assonat Echo.
A Culice & Ciri sic olim exordia rerum
Magnarum, primum sumpsit Maro; deinde sonanti
Ore inflare tubam, bellumque accendere cantu
Edoctus, duri se vertit ad horrida Martis
Arma, virumque canens, fato qui primus ab oris
Italiam prhygiis lavinaque littora venit
Condidit aeternis mansuram Aeneïda saeclis.

Contuccius Contucci.

Ille autem lente gradiens (*b*), tardante senecta,
Ecquis

(*a*) Bernardi Zamagnae elegans Poema philosophicum *Echo* inscriptum prodiit Romae an. 1764. una cum carminibus Raymundi Cunichii. Hoc de Poemate quid nos sentiamus jam diximus in adnotatione nostra in fine lib.2. Idem Zamagna admodum adolescens aliud Poema de *Aucupio accipitris* eleganter scripserat, publica luce aeque dignum.

(*b*) De Contuccio Contucci, qui hic describitur, Viro rerum antiquarum peritissimo, illud affirmari potest, quod de Socrate, celeberrimo Philosophorum parente & magistro, affirmat Cicero, eum *litteram post se nullam reliquisse*. Contuccius enim nihil, quod quidem ejus nomine editum sit, de veteribus monumentis scripsit; nihilo tamen minus floruit hoc in doctrinae genere magna & singularis eruditionis, & subacti judicii fama. Incredibile dictu est, quanti eundem fecerint duo illa Italiae
nostrae

Ecquis erit? meritos cui cingit laurea canos,
Nescio quid manibus versans, & totus in illo.
Fallor? an admoto detrita numismata vitro
Callidus explorat? non fallor. scilicet ille est,
Egregius Vates, summusque Orator, avitum
Florere eloquium stupuit, quo Rhetore, Roma;
Nare sagax idem, longoque instructus ab usu,
Quidquid edax reliqui saeclis labentibus aetas
Fecit, odorari; nec non Kirkerius olim
Quas Latio collegit opes e divite, felix

nostrae ac sapientiae lumina Maffejus & Muratorius. id declarant luculentissima testimonia ab iis in propriis operibus de Contuccio relicta. Porro Contuccius mirum in modum Museum Kirkerianum auxit, gemmis ditavit, vetustissimis picturis ornavit, & rarissimis cujusque generis antiquitatis monumentis locupletavit, ac vere refersit. Rhetoricam in Romano Collegio triginta annos professus est, summa egregii Rhetoris opinione, & ingenti auditorum frequentia. Ex ejus disciplina plures eximii Poetae, praestantes Oratores, nobiles Jurisconsulti aliique doctissimi Viri prodierunt, ut ferme tota urbe nemo ingenio ac doctrina paullo excellentior habitus fuerit, qui ejus auditor non extiterit. Scripsit Orationes aliquot eleganti latino sermone, quae lucem Romae aspexerunt. Romae item an. 1754. lucem aspexit vita S. Pulcheriae Virginis Imperatricis ab eo italice atque erudite conscripta. Reliquit MSS. Poema didascalicum *de Plantis*, plures in libros distributum, quod fortasse una cum Orationibus, jam separatim editis, in lucem prodibit. Contuccio in Rhetoricam docendi munere successit Parthenius noster; qui idcirco haec a me paullo fusius commemorari voluit, ut longe optimi decessoris sui, suaeque de tanto Viro opinionis aliquod saltem hoc in opere monumentum extaret. Natus in Monte Politiano loco nobili adolescens Societatem ingressus est, quam & suo nobilitavit ingenio, & religiosis ornavit virtutibus. decessit in Collegio Romano an. 1765. 19. Martii.

Augere in tantum, ut vincantur ſcrinia, nec jam
Amplius acceſſus capiant ſtipata recentes.
Nicolaus Galeottus. Quin ego laude pari modo te (a) dignabor, eodem
Qui multos annos collega in munere, iiſdem
Navaſti ſtudiis operam, dum vita manebat.
Nunc clarum celebrant nomen toto orbe, relicta
Ingenii monumenta tui, famamque propagant.
Tres alii e Societate Scriptores egregii. Nec non & veſtram claro cum nomine famam
Scripta propagabunt, ſuperas ſi in luminis oras
Preſſa diu, & multo longum vigilata labore
Prodierint tandem, o! noſtri decora alta Lycei.
Proh! quanta accedet ſacris lux addita Faſtis!
Quas clades feret Impietas! remeare coacta
Infernas ſedes ſocia cum compare; late
Quam exſultantem jam, & caelo nova bella moventem
Aggreſſam propius vetus in certamine tanto
Hieronymus Lagomarſinus. Compreſſit pugil, & non uno contudit ictu,
Te quoque te (b) lente incedentem, & multa putantem
Emi-

(a) Nicolaus Galeottus, in Rhetorica tradenda collega Contuccii ſupra laudati, Muſeum Odeſcalchium duobus voluminibus in folio, ut ajunt, comprehenſum edidit Romae an. 1750. & luculentiſſimis adnotationibus illuſtravit. Plura alia ſcripſit recenſenda utique ab auctore eius vitae, quae inter illuſtrium Arcadum vitas locum obtinebit ſuum.

(b) Poeta noſter Hieronymum Lagomarſinum Genuenſem propriis hic verisque coloribus depingit. Jam Lagomarſinus tota Europa cognitus eſt, & ejus fama tot editis libris pervagata; multo vero idem futurus notior, ſi omnia, quae ſcripſit, & quae praeſertim in adornanda M. Tullii Ciceronis ad veterum MSS. codicum fidem exactiſſima editione, collegit, publi-

Eminus agnoſco, proprio cui Tullius ipſe
Ore loqui dedit, o! Ligurum decus, arbiter idem
Auſoniae linguae; ſub te cenſore pudendam
Barbariem exſutus pulcras accingier artes,
Et potui ſacros paullatim accedere fontes
Muſarum. tua laus omnis, tua fama feretur,
Si rapidas vati ſupremo in funere flammas
Evaſiſſe rogi dabitur, longaevaque nomen
Siquod erit noſtro huic operi allatura Vetuſtas.

Nec mea tu (a) quondam fugiſti lumina, quicum *Antonius Benedictus.*
Haec nemora, hos ipſos fueram celebrare receſſus;
Cui molles elegi ſemper, cui carmina cordi,
Plautinique ſales. verum ah! diſtractus iniquo
Tempore liquiſti conſortem muneris. at nunc
Dulcibus avulſus ſtudiis, rerumque vocatus
Magnarum in partem, tacito nova pectore verſas
Conſilia, & vacui curanda negotia ſi quid
Temporis indulgent, collecta numiſmata verſas,

publici juris faciendi uti voluntas & ſtudium incredibile, ita facultas homini non defuiſſet.

(a) Antonius Benedictus, olim in tradenda Rhetorica auctoris noſtri collega. Plauti lectione mirum in modum delectabatur. Edidit Romae an. 1754. in Plauti *Aulul[illegible]riam* Commentarium ſane luculentum, in quo multa de ſuo promſit, non, uti plerumque fit, aliorum modo cogitata ac dicta collegit. Nunc *Secretarii*, quod vocant, munere apud Ordinis ſupremum Moderatorem fungitur; & quod reliqui graviſſimae occupationes illi temporis faciunt, totum in antiquorum numiſmatum ſtudium confert, quorum copiam ingentem congeſſit, utique ab harum rerum intelligentibus viſendam.

Jamque tibi notos gaudes percurrere vultus.

Joannes Ludovicus Courtois. Ac te (*a*) oculis etiam, rerum dulcissime, nostris
Saepe olim in turba memini objecisse videndum,
Gallia quem nobis magno pro munere misit;
Felices nimium, propria haec si dona (*b*) fuissent.
Tu me despondentem animos, ac multa timentem,
Pro studio, quo hominem complectebare, solebas
Erigere, & blandis urgere hortatibus istas

Ut

(*a*) Joannes Ludovicus Courtois, Gallus, designatur, cujus elegantissimum de *Aqua picata* carmen habemus editum Parisiis an. 1749. Is e Gallia Romam venit, & multis annis in Collegio Romano diversatus est. Negotium Viro aeque erudito atque impigro datum jampridem fuit recudendi veterem, sive potius cudendi novam Scriptorum Societatis Jesu *Bibliothecam historico-criticam* quo in opere conficiendo strenue admodum laboravit. Quod vero poeta ait fieri vix posse, ut omnium hujus Societatis Scriptorum numerus ineatur, id affirmat, quod etiam apud externos Scriptores legitur, & plurimis Lagomarsinianis jam supra indicatis testimoniis confirmatur. Cum autem addit Courtoisium tam multis Scriptoribus recensendis parem non futurum, etiamsi laboris sui socium atque adjutorem aeque eruditum ac laboriosum nactus fuerit; Franciscum Antonium Zaccariam suppresso nomine designat, Virum sane talem, qualis ab auctore nostro describitur, & tot voluminibus, jam ab eo vulgatis & nemini non cognitis declaratur; cui quidem de meo libenter adjicio ejus in *Historia Italiae litteraria* conscribenda collegam Dominicum Troilum, qui tanto Viro, tamque strenuo probari utique non posset, nisi singularem eruditionem cum pari assiduitate ac diligentia conjungeret. Troili *Annales litteratorum* habemus; Philosophiam cupidissime exspectamus.

(*b*) Hic locus ita intelligendus est, nimirum, si stabile in Collegio Romano domicilium habuisset. Post aliquot enim annos commorationis in eodem Collegio Roma discessit, & in Galliam reversus est.

Ut paterer nugas efferri in vulgus ; avebam
Ipſe quidem , fateor ; quando eſt tibi tradita cura
Mandare aeternae Sociorum nomina famae ,
Ingenuas vitam qui traduxere per artes ,
Summorum (capitur nam quis non laude ?) Virorum
Cenſeri in numero ; verum nimis ardua vota
Damnabat pudor , & tanti reverentia coetus .
Ecquod enim ſtudii genus exſtitit ? ecqua facultas ,
Quam non aggreſſi ſcriptis ornare diſertis ?
Et poteris numero tam multa volumina , laxa
Aede Palatinus (*a*) quam multa haud cepit Apollo ,
Complecti ? non ; (*b*) ſi ille libris notiſſimus orbi
Tot jam vulgatis , ille impiger , ille labore
Indomitus ſocias operoſo in munere vires
Jungeret . aequoreae citius numerentur arenae ,
Cum ponto inſurgens Aquilo , aut violentior Auſter
Incubat , atque imo turbans ciet aequora fundo ;
Tantus Scriptorum quam poſſit cenſus iniri ,
Inclytaque in proprias tribui tot nomina claſſes .
Illa etiam non parva fuit mihi ſaepe voluptas
Vos improviſo , tacitos quos linquere noſtra
Non hic Muſa velit , collis de parte videre

Andreas Spagnius , & Gaſpar Odericus .

Q 4 Poſti-

(*a*) Bibliotheca Palatina Apollini conſecrata .

(*b*) Similis conſtructionis exemplum habes in Virgilio Aeneidos lib.2. ver.522. *Non . ſi ipſe meus nunc afforet Hector .* ideſt non quidquam efficeretur , etiam ſi Hector dux ille longe Trojanorum omnium clariſſimus & inviciſſimus adeſſet .

Postica subeuntes, atque e rure propinquo
Hospita digressos Sociorum tecta petentes.
Semper enim caros fuit unum invisere amicos
Ambobus studium; genera at non una sequuti
Doctrinae varias animum adjecistis ad artes.
Subtili gaudes, *Spagni*, (*a*) rigidaque Minerva,
Marmoribus priscis, *Oderice* (*b*), atque aere diserto.

At

(*a*) Andreas Spagnius, insignis Metaphysicus, duo egregia volumina Romae quam recentissima impressione vulgavit, alterum *de Causa efficiente* an. 1764. alterum *de Bono, Malo, & Pulcro* an. 1766.

(*b*) Gaspar Odericus, rerum antiquarum studiosissimus, & acerrimus indagator, jam inde a multis annis hujus suae plane singularis scientiae specimen aliquod ediderat; recentiori vero editione vulgavit Romae an. 1765. egregium volumen, quod plures ejus epistolas complectitur, his de rebus a se scriptas, & ad studiosos antiquitatis amicos suos, transmissas. Honorifica Oderici, eruditissimi antiquarii, commemoratio a poeta in suis carminibus facta, memoriam excitat duorum hoc in eodem eruditionis genere clarissimorum Virorum, Antonii Mariae Lupii, & Alexandri Leslaei, qui utique ab auctore silentio praeteriri minime debuerunt; propterea quia alterum Romae novit & suspexit, alterum in Romano Collegio multos annos contubernalem habuit, eoque valde familiariter usus est. Sed venia danda poetae, qui modum aliquem adhibere necessario debuit, ne effusioris cujusdam intemperantiae, in suis sociis commemorandis laudandisque, notam incurreret. Quanquam ita domesticos laudavit, ut ab amplissimis externorum laudibus non abstinuerit. Certe in toto hoc opere nemo aeque laudatus ac externus unus, quicum sane auctori nulla amicitia aut familiaritas intercedit, reperietur. Siquis id illi vitio vertet, non iniquo animo auctor feret, & recte facti conscientia delectabitur. Quidquid id est, duo illi Viri, supra a me indicati, hujusmodi sunt, ut praetermittendi omnino non fuerint. Itaque Antonius Lupius Vir antiquitatis scientissimus opus edidit longe praeclarissimũ, Panormi impressum anno 1744., quod inscripsit; *Epitaphium Sanctae Se-*

verae

At certe tacitum minus hic te linquere nostra
Musa velit, *Sanctine* (*a*), eadem quem tecta colentem
Errantem hic etiam vidi, praeterque meantem;

Carolus Sanctinus.

Qui

verae Martyris illustratum. De hoc opere Scipio Maffejus egregium testimonium reliquit in suis *Observationibus litterariis*, sic enim librum inscripsit, editis Veronae an. 1737. tomo I. artic. 8. pag. 215. & seqq. Qui, quod Maffejus de Lupio scripsit, leget, hominem profecto eo elogio, quod ei a tanto Viro perscribitur, dignum judicabit. Leslaeus vero praeter Missale Mozarabum ab eo editnm Romae an. 1755. & luculentissimis adnotationibus illustratum, multa reliquit MSS. in omni antiquitatis genere; inter alia opus egregium de *Legionibus*, quo in opere omnia militiae Romanae munera persequitur, & adhibitis antiquis inscriptionibus confirmat atque distinguit. Lupius ipse hoc in eruditionis genere Leslaeum tanti faciebat, quanti credibile vix est. hic enim mira sagacitate hujusmodi res odorabatur, adeoque in iis pervestigandis impotens erat, ut easdem aliquando, se met in parietinas ac cryptas non sine vitae discrimine conjiciens, venaretur.

(*a*) Carolus Sanctinus, cujus immatura mors hic a poeta nostro defletur, ejusdem, in Rhetorica Florentiae tradenda, collega fuit, & amicus longe carissimus. Decessit Sanctinus in Collegio Romano singulari sanctitatis opinione. Exstat ejus effigies cum elogio, quod hic subdimus; *P. Carolus Sanctinus morum innocentia, orationis studio, in servandis nostris legibus exactissima diligentia commendatissimus. Obiit 5. Maii 1761. aetatis suae* 53. Ejus latinorum Poematum specimen quoddam, sane egregium atque pernobile, exhibet nobis Hieronymus Lagomarsinus in sua quadam ad Antonii Mariae Gratiani operis *de Scriptis invita Minerva* librum septimum adnotatione, pag. 217. edit. Florent. an. 1745. caetera Sanctini latina carmina ab ipso, qua erat animi demissione, aut suppressa, aut distracta, aut etiam fortasse igni tradita, certe perierunt. Superstites sunt biscentum ejus ad Anonymum epistolae de sacrorum Bibliorum difficilioribus locis etrusco per quam eleganti sermone conscriptae, quibus latine pari elegantia vertendis intentus, cum ad septuagesimam septimam pervenisset, in morbum incidit, ex quo mortuus est. Eas qui legerit, non poterit hominis ingenium, judicium, doctrinam, summam denique hebraicae latinaeque linguae peritiam non vehementer mirari.

Qui lateri haerebas comes indivisus, amoenos
Cum, labente die, circum cursare iubebat
Telegoni colles; tu jam mihi foedere dudum
Junctus amicitiae, cum nos Florentia nactos
Munus idem conjunxerat. importuna sed eheu!
Mors intercedens, te funere mersit acerbo,
Et me disjunctum caro abstractumque sodali,
Moerentem tristi in luctu gemituque reliquit.
Non pietas, non sancta fides, non alma poësis;
Inde usque a prima quanquam tibi culta juventa,
Evaluere tuos producere longius annos.
Occidis; occiderunt tecum solatia nostra;
Occidis; atque una simul & virtutis imago,
Et recti forma, & species defecit honesti.
Sed quando exstinctum revocare in luminis oras
Non lacrymae possunt, & nil suspiria prosunt;
Accipe lugentis supremum hoc munus amici,
Atque tuum patere, ut memori mea carmina nomen
Commendent aevo, & nostrum testentur amorem.
Petrus Curti. Ac demum mihi nunc non, *Curti* (*a*), indictus abibis
Qui

(*a*) Petrus Curti Vir doctissimus, Metaphysicus, si quis unquam, subtilis, & hebraicae linguae, quam multos annos in Collegio Romano publice docuit, peritissimus. Plures edidit dissertationes quas appellant, super Sacrae Scripturae difficilioribus locis, quorum explicationem ex penitiori ipsius hebraicae linguae intelligentia petendam depromendamque curavit; quae quidem dissertationes si colligerentur, justum volumen

Qui cum ſaepe fui rheda huc ſubvectus eadem,
Cuique animi ſordes fueram committere ſacro
Ritu abſtergendas; ſed, quae dulcem invida amicum
Eripuit, rectorem animi mors abſtulit; at non
Eſt modo cur luctus renovem, quando illa ſupernis,
Quod tua promeruit pietas ſpectataque virtus,
Adſcriptum ordinibus caeli alta in ſede locavit,
Vivis ubi vita longe meliore beatus.

Sed, quo te (a) paene, o! animae pars altera noſtrae, *Albertus de Albertis.*
Prae-

lumen efficerent. Cum ſingulari doctrina religioſae perfectionis ſtudium conjunxit. Fere nunquam prodibat domo, nec vero, niſi neceſſitas cogeret, e cubiculo ipſo pedem efferebat, ubi incluſus, aut orationi, aut ſtudiis ſuis operam dabat, aut etiam excipiendis Confeſſionibus externorum Collegii Romani auditorum, quos ſingulari diligentia atque aſſiduitate ad omne pietatis officium excolebat, occupabatur. Adeo divino amore ſuccendebatur, ut ejus aeſtum ſinu aegre contineret; nec vero breves illas praecationes, quas frequenter in Deum veluti jaculabatur, ſic tacitus comprimere poterat, ut non a circumſtantibus, non ſine intimo piae commotionis ſenſu, exaudirentur. Obiit in Coll. Rom. an.1762. 4. Aprilis, plenus optimae ſpei, ut ipſemet Parthenio noſtro diſertis verbis paullo ante obitum ſignificavit.

(a) Alter poetae noſtri amicus, idemque longe cariſſimus, nimirum Albertus de Albertis, hic indicatur; cui quidem tantum ſe debere mihi haec ſcribenti poeta ipſe ſaepe teſtatus eſt, quantum neque frater fratri, neque amicus ullus amico debeat. Cum homine enim omnia ſua Albertus humaniſſime & liberaliſſime communicat. Hanc gratam animi teſtificationem, quam ipſe ſuis carminibus expreſſit, in meis adnotationibus omnino a me confirmari voluit. Porro Albertus Orator inſignis, totam fere Italiam concionando peragravit, & in praecipuis italicarum urbium ſuggeſtis, certatim expetitus, incredibili populorum approbatione, atque utilitate auditus eſt. jam inde

Praeterii numero in tanto, indictumque reliqui?
Quicum aliquot quondam hic, Autumni tempore, laetos
Exegiſſe dies memini; cui debeo tantum,
Quantum non poſſim verbis aequare; etiamſi
Ipſe tuum velles, conſueſti ut caetera, mecum
Partiri elequium; quod ſummum larga perenni
Natura indulſit tibi vena; hoc ſcilicet omnis
Italia, in primis mirata eſt maxima Roma,
Et miratur adhuc, pendetque docentis ab ore.
Uſque adeo mentes hominum ſapientia, & aures
Culta tenet blandae praeſtans facundia linguae.
Alia oblectamenta. Sic libet e tumulo aut ſocios ſpectare vagantes,
Aut denſas inter ſylvas, lauroſque frequentes
Errabunda juvat paſſim veſtigia ferre,
Et terere extractum conceſſa per otia tempus.
His alia ex aliis ſuccedunt gaudia, ſeque
Perpetuo excipiunt nexu, ſeu vivere tecum,
Seu magis arridet dilectos inter amicos
Fallere jucundis vacuas ſermonibus horas.
Seceſſus veterũ Poetarum. Hanc veteres olim vitam inſtituere Poëtae.

Sic

de a multis annis in primario Societatis Jeſu romano templo Sacram Scripturam interpretatus eſt, & etiamnum interpretatur, ſingularis doctrinae fama, & ingenti confluentium auditorum concurſu. Labores hos ipſum ſuos, fructuſque ſane uberes, qui ex iis ad Majorem Dei gloriam, ac ſalutem animarum percipi poterunt, eorundem ſperamus impreſſione perpetuos effecturum.

Sic Maro (*a*), sic crevit numerosus Horatius; ille
Parthenopes laetas semper (*b*) vernantis ad oras
Abditus, hic udas dilecti ad Tiburis arces.

(*a*) De neapolitano & tiburtino secessu horum duorum latinae Poesis Antistitum multa erudite adnotari possent; quo in genere praetermittenda omnino non est, pulcherrima atque eruditissima *Dissertatio*, sic enim inscribitur, *super Villa Horatii Flacci* auctore Dominico de Sanctis, & Romae impressa an. 1761. Haec autem dissertatio digna plane est, quae ab omnibus, tum praesertim ab Horatii studiosis legatur. In ea enim, quod ostendendum suscipitur, plana quadam maximeque perspicua ratione demonstratur. Praeterquam quod clarissimus ac praestantissimus Auctor multis Horatii obscurioribus locis lumen affert, multa quoque ex romana antiquitate delibat, ac praecipue multarum veteris Latii urbium ac regionum situm designat, limitesque definit, quippe qui, quae affirmat, non ab aliis, uti plerunque fit, didicerit, sed praesens ipse cognorit.

(*b*) Hunc locum sic intellige; non ut Virgilius semper *ad oras Parthenopes* abditus latitarit, sed ut neapolitanam oram ob regionis *semper vernantis* amoenitatem praecipue adamaverit. Quare nemini mirum videri debet, si amoenissima regio summis clarissimisque Poetis nunquam non floruerit. Noti sunt & doctorum scriptis celebrati, Jovianus Pontanus, Angelus Constantius, Bernardinus Rota, & qui instar omnium est, Actius Syncerus Sannazarius. Atque hi quidem externi; ex domesticis vero non sine laude commemorandi sunt Constantius Pulcharellus, Parthenius Giannettasius & Eulalius Savastanus.

Hucusque Parthenii opus adnotationibus nostris prosequuti sumus; quo quidem in opere non diffitetur auctor, ut ipse ait, multa, ut ego sentio, nonnulla occurrere, quae castigatius & pressius ad philosophandi rationem ac veritatem dici, elegantius atque felicius ad elocutionis nitorem ac venustatem efferri potuissent. Sed aliquid, opinor, difficultati operis concedendum, aliquid defatigationi auctoris indulgendum, aliquid demum humanae imbecillitati esse condonandum; quae quidem nec semper, quod vult, assequitur, nec sibi constare diutius potest, quin in suis ipsa conatibus nonnunquam aegra succidat atque deficiat. Placet illud Horatii in Arte poetica, quod spectandum maxime arbitror in ferendo, praesertim de Poetarum operibus,

ribus, judicio, & quo non intempestive a me nunc allato, meis his adnotationibus, qualescunque tandem etiam ipsae sint, quas ego quoque minus accuratas esse non diffiteor, finem impono.

Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus;
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus & mens;
Poscentique gravem persaepe remittit acutum;
Nec semper feriet, quodcunque minabitur, arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.



EDI-

EDITOR
LECTORI BENEVOLO.

C*VM mihi, ut jam inde ab initio dixi, edendorum Parthenii carminum cura demandata fuerit, carmina ejusdem aliquot de* S. Aloysio Gonzaga, *qui quotannis, recurrente ejus festo anniversario die, a Collegii Romani Rhetore laudari solet, huic editioni, quo locupletior evaderet, attexere opportunum existimavi. Non dicam, quod rudia esse atque impolita judicaret, quantum repugnarit Parthenius; ego vero novo usus artificio, quod volebam, ab eodem extorsi. Proposito enim exemplo sanctissimi ac disertissimi Viri Paulini Nolani Antistitis, quem S. Felicem ejusdem Ecclesiæ Presbyterum versibus suis, qui quidem exstant, celebrasse, eumque novo quodam vocabulo, & minus certe latino, sed ad exprimendam clientis erga Patronum suum observantiam atque amorem accommodatissimo*, Dominaedium *appellare consuesse legimus, proposito inquam tam illustri ac pio exemplo, pervici, ne diutius repugnaret, & carmina Parthenius sua, ut erant [neque enim ea poliendi tempus, typographo ad exitum festinante, neque vero facultas, auctore defatigato, suppetebant] mihi non invitus traderet; ne Sanctissimo atque Angelico Juveni, quem Collegii Romani Alumni pari jure* Dominaedium *appellare & possunt & debent,*

debent, qualecumque decus, quod vel ex rudibus & impolitis carminibus in eundem redundaturum sperari posset, invidere quodammodo videretur. Cum vero Joannis Mariae, Parthenii fratris, carmen quoddam, quod ei admodum adolescenti exciderat, typis jam impressum invenerim, illud recudendum curavi, non quidem ut ex eo, qualis evasurus fuisset Poeta, ut adnotavimus pag. 109. conjici possit; sed tantum ut aliquod ejusdem hoc ipso in fratris opere ingenii & facultatis specimen aut monumentum exstaret. Postremo carmen aliud adjeci a Joanne Pompejo Manzochio conscriptum, quo clarissimus & doctissimus Vir Parthenium, carissimae sibi genitricis optimae foeminae obitu moerentem consolatur; quod quidem carmen multo sane, quam reliqua, difficilius ex ejus manibus extorquendum, cum primum in manus meas pervenisset, meo usus jure, nulla a Parthenio impetrata venia, huic operi tanquam coronidem apponendum censui. Reliquum est, ut te, benevole Lector, rogem, ut meam in locupletanda hac editione diligentiam aequi bonique facias.

DIVI-

DIVINI AMORIS

DE S. ALOYSIO GONZAGA

TRIUMPHUS.

I.

E Ductus, placido lenis qua Mincius amne
Defluit, & tenera conveſtit arundine ripas,
Inſignis facie Puer & florentibus annis,
In magnam laudis ſpem ſuccreſcebat avitae.
Olli clarus erat, Regumque ab origine ſanguis,
Qui magna populos late ditione tenebant,
Uberibus dives quos paſcit Mantua campis.
Non acre ingenium, non & vis vivida mentis;
Non virtus deerat, non aptae ad grandia vires.
  Jamque illum Ambitio ſibi votis omnibus unum
Legerat, a primis & jam deſponderat annis,
Quem belli egregias habilem formaret ad artes.
Ergo animo occultum famae inſpirabat amorem,
Et furtim dulces laudis ſub pectore ſenſus;
Et titulos, & opes, & clarae inſignia gentis,
Nec non & partos generoſa morte triumphos
Subjiciens, facilem in ſua vota inflectere mentem
Improba curabat. Nec vero plurima fruſtra
Movit agens; gaudere Puer fulgentibus armis,
Et tractans tenera ferrata haſtilia dextra,

Insignis galea, & multo conspectus in aere
Instruere armatas simulata in praelia turmas.
Bellica quin ausus tormenta incendere; saevi
Ne quid inexpertum duro in certamine Martis
Linqueret, & magnis jam tum proluderet ausis.
Senserat elatum, nimiaque cupidine laudis
Abreptum, & vanas agitantem pectore curas,
Jamdudum Divinus Amor; tacitoque dolorem
Corde premens, studiis haud passus inanibus illum
Longius abduci, quem caelo noverat alto
Deberi, & fatis longe melioribus ortum;
Quam sibi ut hic fragiles palmas laurosque caducas
Quaereret, & vanos consectaretur honores.
Hunc fore, qui sacro quondam consumptus ab igni
Oppeteret pulcram potiori vulnere mortem.
Has illum lauros, haec immortalia serta,
Serta atque aeternos hos axe manere triumphos.
Haec agitans secum, & tristi sub pectore volvens,
Forte cito alarum delatus remige cursum
Illac deflexit, celsas qua tollit ad astra
Castilio turres, sedes antiqua paterni
Imperii; demissa humeris pharetra aurea pendet,
Aureus in manibus micat arcus, & aurea teli
Cuspis erat, caelo cum contemplatus ab alto,
Audentemque animis Puerum, & nil tale putantem
Conjecto petiit jaculo; fugit acta sagitta

Ven-

Ventorum rapidis & fulminis ocyor alis,
Una ignem plagamque ferens, pectusque sub altum
Illabens, flammas imo sub corde reliquit.
  Extemplo mutati animi, mutata repente,
Et studia in melius vitae conversa prioris,
Jam sordent, modo quae placuere; illustrior illum
Cura domat, penitusque imis suscepta medullis
Aestuat, & tota absumit praecordia flamma.
Unum amat, unum ardet numen, defixus in uno
Numine languet amans, & tantos non capit aestus.
  Aspicit haec laetis oculis, pennisque coruscans
Divus Amor, praedaque diu laetatus opima
In caelum paribus victor se sustulit alis.

S. ALOYSIUS GONZAGA

LEVISSIMA CRIMINA ASSIDUIS LACRYMIS DEFLET.

I I.

NItratus patria furtim subductus ab arce
Pulvis, & incauto quæ forte loquentis ab ore
Turpia, sed non intellecta vocabula, quondam
Exciderant, tanto Pueri corda aegra dolore
Perpulerunt, tantisque onerarunt pectora curis,
Ut nullus lacrymis esset modus; omnia tristi
Multa gemens questu luctuque implebat amaro.

Nequidquam Aequales tantum lenire dolorem,
Et tantas dictis nequidquam demere curas
Aggreſſi; depreſſum alto ſub pectore vulnus
Tractari renuens hiat, aegreſcitque medendo.
Flet noctem, accendit cum ſerus lumina veſper;
Flet lucem, humentes cum Phoſphorus exigit umbras.
Una quies, maeſtoque unum ſolamen amori eſt,
Et longum gemere, & ſingultibus intermixtis
Moerenti triſtes jactare has ore querelas.

Quae nunc prima querar, quae nunc poſtrema reſervem
Crimina de tantis, me queis obſtringere demens
Suſtinui? quo fletu admiſſa indigna, quibuſque
Lamentis aequare putem me poſſe? perennes
Ite oculi in lacrymas, luctu modus ullus amaro
Non ſit; quandoquidem non parva, nec una dolori
Cauſa ſubeſt, gemituſque ciet. Nam quis malus error
Impulit abjecto, miſerum me! foeda pudore
Verba loqui? & turpes non averſata refugit
Lingua ſonos? mediis nec vox mihi faucibus haeſit
Intercepta? prius nec me mea vita reliquit,
Quam te, ſancte Pudor, violarem, labraque dictis
Polluerem immundis? ſaltem ah! ſuſcepta fuiſſent,
Quae malus impuro miles jactaverat ore;
Non ego nunc animo tantum perferre dolorem
Cogerer, & tantos effundere pectore queſtus.

Ille quid? ignaro ſurreptus milite pulvis

Anne

Anne levis culpa eſt, facilique piabilis unda?
Anne parum linguae crimen manus aggerat? Eheu
Me miſerum! & potui, & feci; nec dextra repente
Aruit ad vetitos cum ſeſe extenderet auſus.
Quam merui, ut ſubitos bombarda exarſit in ignes,
Involvitque atra piceum caligine caelum,
Elidique rotis diſcepto corpore, flammiſque
Abſumi. mihi ſurreptus tunc ille fuiſſet,
Ille ipſe exitio pulvis, crimenque luiſſem,
Et juſtas merito ſolviſſem funere poenas.
Indutus, memini, galea, criſtiſque decorus
Incedebam amens; gaudebam ante ora parentis
Aeratas ante ire acies, atque ordine certo
Inſtructas belli in ſpeciem ductare phalangas.
Nec me quo Martis maleſana licentia agebat
Praecipitem, uſque adeo mihi erat mens laeva, videbam.
Heu! male ſuſcepta, & vitae illaudata prioris
Nunc ego deteſtor ſtudia. O utinam mihi nunquam
Culta forent, tanti fuerunt quae cauſa doloris.
Ite oculi in lacrymas; jugi tabeſcite fletu.
Dum vivam, certum eſt & flendo condere ſoles,
Et vigiles inter ſuſpiria ducere noctes.
Quanquam quid ſolis juvat indulgere querelis,
Et triſtes vacuas gemitus jactare ſub auras?
Corripe flagra manu, repetito verbere ſanguis,
Sanguis eat toto de corpore; ſanguine numen

Placandum, fusoque luendae sanguine poenae.
  Hos incendenti luctus, & acerba querenti
Deficiunt subito vires; atque addere plura
Conantem, fletu vox interclusa relinquit.

S. ALOYSII GONZAGAE

OBITUS TOTI ANTE ACTAE VITAE CONSENTIENS.

III.

PLerunque exorsis si consonat exitus, & si
Vita bene acta obitu felici clauditur, hoc nos
Annua dum festae redeunt solemnia lucis,
Affusique tuis aris, genibusque minores
Dum prece te multa, & plena veneramur acerra,
Hoc merito, GONZAGA, tibi gratamur ovantes.
  Vix bene vitales infans in luminis auras
Eductus fueras, caelo cum Numen ab alto
Lumine te blando aspexit, propriumque dicavit.
Nec mora; supremi digressa e sede Tonantis,
Quae mores hominum format, rectumque piumque
Edocet, & sine vi flectit mortalia corda
Diva potens animorum nascenti tibi praesto
Et fuit, & propriis exceptum fovit in ulnis.
Proh! quantis tunc illa opibus te larga supernis,
Quantis ditatum donis caelestibus auxit.

Illa

Illa animum multa primum ſic daedala finxit
Arte; polo natam ſic ad caeleſtia mentem
Erexit, terrena ut ſpernere cuncta, polumque
Unum ſpectare a teneris aſſueveris annis.
Hinc te non auri, nec opum maleſana libido
Cepit; non regale genus, non debita aviti
Moverunt ſceptra Imperii; non denique quidquid,
Perverſo bona judicio manſura caducis
Poſtponens, hominum vulgo genus admiratur.
Adde quod, & tenerum tanto munimine pectus
Clauſit, ut obſeptos nunquam tentare receſſus
Idaliae poſſet veneris Puer. Inde cupido
Nulla animum pupugit, nec earum cura momordit
Ulla, infelices quibus immoriuntur amantes.
Haec collata tibi naſcenti munera; ab iſtis
Se tua principiis nitens ad ſidera virtus
Extulit, inque dies magis ac magis aucta, ſupernis
Te prope Spiritibus, qui nulla mole gravantur,
Viventem aequavit. Verum ſuper omnia dona
Illa tibi ſanctum jam tum inſpiravit amorem,
Subjecitque facem, & praecordia ad intima adegit.
Ergo divina ſuccenſus pectora flamma,
Aeterniſque bonis inhians, vitare prophanos
Coetus, & patrii penetralia in intima tecti
Abdere te te; ſecretis ubi ſolus in umbris
Multa gemens, imoque trahens ſuſpiria corde

Implebas reſonas crebris ſingultibus auras.
Vos umbrae teſtor, vos & conclavia caeca
Sollicitos aegro quam ſaepe e pectore quaeſtus
Audiſtis rumpentem, & Numen voce cientem?
Ex illo vigil inſomnes producere noctes,
Nec ſopor uvidulis obrepere ſerus ocellis.
O quoties noſtro ſua cum decederet axe
Phoebus, & heſperio properaret marmore tingi,
Seu contra roſeo currus efferret ab ortu,
Audiit incenſo fundentem fervida corde
Vota, & prae nimio languentem vidit amore.
Quid memorem, ubertim ut lacrymis manantibus ora,
Ora & perpetuo rorarent lumina fletu?
Qualis, quem gelido rupes enixa ſub antro eſt,
Ut ſemel incoepit prono per devia lapſu
Rivus agi, curſum non intermittit, & uſque
Labenti novus adveniens non deficit humor;
Sic tibi perque genas lacrymae, per & ora volutae,
Aegri crebra inter cordis ſuſpiria, quo jam
Coeperunt, curſu non deficiente fluebant.
Ah quid agis Gonzaga? quid ah! quid lumina jugi
Immerita, & nimio tendis te perdere fletu?
Jam lacrymae exedere genas; jam pallor in ore
Luteus; illa decens formoſi gratia vultus,
Ille color; nitidae flos heu! flos ille juventae
Jam periit; totos macies depaſcitur artus.

An

An pergis tantos exſtinguere fletibus aeſtus ?
Nil agis ; affuſis creſcunt incendia lymphis.
At vos o , Pueri queis credita vita , Sodales ,
Si vobis ea jucunda eſt , ſi carior ipſis
Eſt oculis , aut his ſi quid pote carius eſſe ,
Aut mage jucundum , miſereſcite amantis , & aeſtus ;
Si qua via aut modus eſt , tantos compeſcite ; raptus ,
Ni facitis , curſu in medio & florentibus annis ,
Occidet ante diem , fatoque occumbet acerbo.
Et vero occubuit ; neque enim compeſcere amoris
Vim tantam ipſe , neque afflicti valuere Sodales.
Fortunate tuo Puer iſto funere ; vivens
Nequaquam poteras fatis melioribus uti ,
Nec moriens fato exſtingui meliore. beati
Nunquam erit ut lethi non vivat gloria. Sacros
Excipiet cineres e fulvo nobis auro ,
Et pulcre gemmis diſtincta nitentibus urna.
Hanc ſupra fulgens , auroque effictus eodem
Dius Amor faculam quatiet , plaudentibus alis
Atque exſultanti ſimilis ; levique ſagitta
Felicis cauſam ſignabit carmine lethi.
HIC GONZAGA IACET. DIVINO ABSUMPTUS AMORE EST.

S. ALOY-

S. ALOYSIUS GONZAGA

CAELUM TRIUMPHANS INGREDITUR.

I V.

NAM quis te digno, juvenum Sanctiſſime, verſu,
Egregiaſque tuas laudes celebrare canendo
Poſſit? mortales qui vix dum corporis artus
Exſueras, rectà caelum petiiſſe volatu
Diceris, atque illic, toto ſpectabilis axe,
Solemnem pompa inſigni duxiſſe triumphum.
Scilicet ille tuus nitor, & mens neſcia fraudis
Nequaquam ultrices ſenſit poſt funera flammas,
Queis animis penitus vitium omne abſtergitur, atque
Eluitur quidquid terrenae faecis adhaeſit.
Ergò vix placido clauſiſti lumina letho,
Continuo ingrederis caelum, terraſque jacentes
Deſeris, & miſeros nos caeca in nocte relinquis.
Effultum veluti ſolio te lucida nubes
Sublimem excepit; dextra laevaque frequentes
Circumſtant ſuperi delapſi e ſedibus axis
Caeleſtes Genii, & manibus dant lilia plenis,
Lilia virginei certa argumenta pudoris.
Infra autem exſtinctaque face, & fracto Puer arcu
Sub pedibus jacet idalius; fruſtra ille retorquet

Lumi-

Lumina, multa gemens & amara percitus ira.
Quantus erat tunc oris honos! quae! quantaque fronti
Addita majeſtas! quo ſe ſe pompa ferebat
Plurima lux nitido ſignabat limite callem,
Et vaga plaudebant hilari tibi ſidera motu.
Haec tu preteriens ſpectas, nulloque labore
Cognoſcis praeſens; qua vi, quove ordine, quave
Lege aſtra aeternos circum volvantur in orbes.
Quanquam iſta haud tanti eſt cognoſcere, ut omnia longa
Suſtineas luſtrare mora; ſed praepete penna
Aligerum comitum ſublatus in ardua, & ipſa
Ultima Saturni praeter confinia vectus,
Victor, ovans ſummo tandem ſuccedis Olympo.

Nec mora; tota tibi ſtellantis Regia caeli
Obvia procedit; fremitu plauſuque ſecundo
Cuncta ſonant; laetum ingeminat paeana juventus
Aligera, atque humeris ſublimem attollere gaudet
Inſignem radiis, & multa luce coruſcum.
Quid memorem, ut denſa ante alios comitante caterva
Obvius Ogniades tibi venerit? eminus ipſe
Agnoſcis cari vultus atque ora Parentis,
Amplexuſque petis; laeto Pater excipit ore,
Et natum cupidis venientem amplectitur ulnis.

Hos inter plauſus & feſtae gaudia pompae
Procedis ſummi ſolium ad regale Tonantis.
Ut venis, ut coram vix ſiſteris; ecce repente

Diſcuſ-

Discuſſis tenebris, atque omni nube remota;
Perſpicua Numen tibi ſeſe in luce videndum
Praebet, & optato paſcit tua lumina vultu.
Ac jam quod cupias ſupereſt nihil; hic nova mentem
Gaudia perfundunt, & pax exuberat alma,
Plenaque inundanti velut a torrente voluptas.
His modo deliciis, exſutus corporis artus,
Perfrueris, virtus tibi quas peperit tua; nec jam
Pallentes morbos & inexorabile lethum,
Nec quae hominum miſeram vexant mala plurima vitam,
Formidas, tuta caeli in ſtatione locatus.
Salve igitur, magno magnum decus addite Olympo;
Ac tibi ſolemnes dum rite novamus honores,
Dumque tuas canimus laudes atque inclyta facta,
Huc ades; & pubem in primis bonus aſpice, quae te
Patronum colit, & ſupplex tua numina poſcit.
Hanc fove, & illabens animis fac combibat Artes
Ingenuas una cum Relligionis amore.



S. ALOY-

S. ALOYSII GONZAGAE

IN SANCTIORIS VITAE SECTANDAE PROPOSITO CONSTANTIA.

V.

O Quem te memorem, claro ſate ſanguine Regum,
Gonzaga, Auſonidum Lojolidumque decus,
Cum titulos & opes fortis contemptor avitas,
Et linquis patrii regia tecta ſoli.
Non te laurigeri faſces, non ſplendida movit
Purpura, non lautae plurima gaza domus;
Non illa Imperii tibi debita ſceptra, nec ipſe,
Quo tibi nil poterat carius eſſe, Pater.
O! quoties ſculptos pario da marmore, & altis
Longo diſpoſitos ordine porticibus,
Majorum oſtentans vera ſub imagine vultus,
Et memorans forti parta trophaea manu;
Quo te jamdudum meditantem ac magna parantem
Flecteret, & blandis vinceret illecebris;
O! quoties dixit (dicenti plurimus humor
Depluit, & lacrymis immaduere genae);
Nate, per has ego te lacrymas, per facta tuorum
Inclyta, per noſtrae tot decora alta domus;
Te, Nate, obteſtor, precor hanc, precor exſue mentem;
Meque & te dignos concipe corde animos.

Quid

Quid tibi Lojolidum cum castris? sanguine claro
Martia progenitum non nisi castra decent.
Hoc est laudis iter; verax hoc gloria pandit;
Huic uni insistens nomen in astra feres.
Ah! memini, quondam, cum vix septennis aheno
Insignis clypeo, & conspicuus galea,
Tractabas puer arma; ensesque hastasque minaces
Imbelli dextra stringere ludus erat.
Omina quae licuit mihi tunc captare parenti,
Quantaque virtutis, quam prope certa tuae?
Jamque inimica animo totis fundi agmina campis
Cernebam, & victos projicere arma duces;
Horrebat multo constrata cadavere tellus;
Horrebat multa caede cruentus ager.
Tu vero afflictis violentior hostibus instans,
Praecipitique urgens agmina versa fuga,
Vix poteras duro avelli certamine; dulcis
Tantus erat forti in pectore laudis amor.
Quo tu cunque ibas, gressum quocunque ferebas,
Praetendens dextra laurea serta, tuos
Ante triumphales ibat Victoria gressus,
Victori ornabant debita serta caput;
Ante pedes captae trepidis cum civibus urbes
Tendebant vinctas supplice voce manus.
Interea totis penitus suscepta medullis
Mulcebant patrium gaudia blanda sinum.

Haec

Haec ego fallaci ductus ſpe vota fovebam
Heu ! caſſa in rapidos vota abitura notos ;
Exſultanſque animis , & laetus ovanſque ferebar ;
Demens , qui falſis decipi imaginibus ,
Et ſpecie illudi rerum ſum paſſus inani ,
Et vano fovi gaudia falſa animo .
Nunc fugis , & triſti cogor tabeſcere luctu ,
Nunc fugis , & tecum gaudia noſtra rapis .
Ah ! nate , ah ! ſi qua eſt pietas , me perdere noli ;
Noli ah ! digreſſu perdere , nate , tuo .
Haec Pater ; at Lodoix agitans majora , parentis
Et precibus flecti neſcius & lacrymis ,
Perſtabat contra ; non illum blanda movebant
Verba , nec admixtae cum precibus lacrymae .
Qualis in aërii conſurgens vertice ſaxi
Quercus frondoſas explicat alta comas ,
Quam venti tendunt nequidquam evellere , totis
Obnixi contra viribus ; illa ſolo
Fixa , immota manet , furiaſque Aquilonis & iras
Ridet , & inſani murmura rauca Noti ;
Aut qualis medio rupes ſe ſe ardua ponto
Erigit , & celſa ſidera fronte petit ;
Quam licet horriſoni oppugnent facto impete fluctus ,
Atque procelloſi verberet unda ſali ;
Non uſquam labat , atque ſua ſtans mole tenet ſe ,
Iratique minas deſpicit Oceani .

Talis

Talis erat Lodoix; lacrymis natum & prece multa
Cum Pater aggressus flectere magnanimum.

AD S. ALOYSIUM GONZAGAM

UT ASSIDUIS LACRYMIS MODUM PONAT.

VI.

DEsine sollicitis incendere questibus auras,
Et jugi indignas deterere imbre genas.
Qualis muscoso fons olim eductus in antro
Materna rumpens prosilit e silice;
Prosilit, & summo descendens vertice montis,
Et properans celeri vallis ad ima pede,
Saxa per & salebras & inaequales anfractus,
Pergit inexhaustis currere semper aquis;
Sic tibi perpetuum rorantibus humor ocellis
Defluit, & madidos perluit imbre sinus.
Jam plures abiere anni; jam signifer axis,
Mutaruntque suas saepius astra vices;
Ex quo suspirans, longo indulgensque dolori,
Pallidaque assiduis ora rigans lacrymis,
Angeris, & cura misere tabescis eadem,
Et requies fesso non datur ulla animo.
Carpitur interea laetae flos ille juventae,
Et pallor miris inficit ora modis.

Ah!

Ah! quid agis? longas o! tandem mitte querelas;
O! precor immeritas parce rigare genas.
His ſine perpetuo tabeſcant lumina fletu,
Queis eſt admiſſi conſcia mens ſceleris;
Quos olim abreptos furor improbus arma coëgit
Sumere, & ultrices conſcelerare manus;
Quique auſi impuro ſunt ore laceſſere caelum,
Et jacere in ſummum verba nefanda Deum;
Et quos pellectos cepit maleſuada libido,
Uſſit & impuris turpis amor facibus.
Hi plorent, largoque humectent flumine vultus,
Ulla nec aſſiduis fletibus hora vacet.
Sic lacrymis animum & luctu paſcebat amaro;
Et luctu & lacrymis conficienda ſuis,
Fax juvenum quondam, Bethanes famoſa puella,
Dehinc ſanctæ inſignis forma pudicitiae.
Amplius haud olli tyria procedere palla
Ornatam, aut crines fingere cura fuit,
Adſcitamque mala ſpeciem mercarier arte,
Inque peregrinis fulgere divitiis.
Lapſa jacent nitidis conſerta monilia baccis,
Et deſpecta ſolo murrhina vaſa jacent.
Lucem odit, vitatque hominum commercia, quos heu!
Heu! male blanda ſuis ceperat illecebris.
Illa vel obſcuris antri latet abdita in umbris,
Aut ſedet in ſolis anxia littoribus;

Funduntur paſſi per levia colla capilli,
Praecingit tenerum faſcia dura latus;
Interea ducens imo ſuſpiria corde,
Et feriens crebra pectora nuda manu,
Pacem orat ſuperos; reſponſant littora pacem,
Et pacem cautes antraque pulſa ſonant.
Noctes atque dies haec ſcilicet una recurſat,
Sollicito una haec eſt addita cura animo.
At tu, Sancte Puer, lacrymas quod fundere cogat,
Ecquod veſani crimen amoris habes?
Si nix contendat tecum maeotica, vel ſi
Lacteolis certent alba liguſtra comis;
Alba liguſtra, niveſque anteis candore, liguſtris,
Et ſi ipſis quidquam eſt candidius nivibus.
Quanquam quid loquor, & non proficientia perdo,
Irritaque in rapidos verba abitura notos?
Ille gemit, mixtoque iterat ſuſpiria fletu;
Mors ponet tantis fletibus una modum.



S. ALOY-

S. ALOYSIUS GONZAGA

JUSSUS MENTEM A DEO AVERTERE CONQUERITUR.

VII.

ERgo ego, quem primis ſua ſub juga miſit ab annis,
Uſſit & admotis Divus Amor facibus;
Aſſuetum longo te Sanctum tempore Numen
Et colere, & toto pectore diligere;
Invitam cogor nunc a te avertere mentem,
Proh dolor? & caro diſtrahor a gremio.
Diſtrahor; & potero tantum tolerare dolorem?
Et ferre ingrati taedia diſſidii?
Uror; & eripitur cupido ſolamen amanti;
Uror, & optato non licet ore frui;
Sancte Amor, arſuras aut mitius ure medullas,
Et petere uſque novis parce, precor, jaculis;
Aut ſi me pergis violentius urere, & in me
Tela placet crebra congeminare manu;
Ah! ſaltem tanto nullus ponatur amori,
Qui miſerum exanimet diſcrucietque, modus.
Quis potis injecto cohibere incendia fraeno,
Cum furit accenſis Trinacris Aetna rogis,
Flagranteſque globos liquefactaque ſaxa ſub auras
Evomit, & multa verberat aſtra face?

 Quis,

Quis, cum missa semel nervo est stridente sagitta,
Et findit celeres ocyor ipsa notos,
Quis rapidum remoretur iter, sistatque volantem,
Quin propere ad metam pergat adacta suam?
Heu! quid agam? me sancta premunt tua jussa, jubenti
Et parere quidem, sit modo posse, velim.
Verum quî possim? caram quando omnia formam,
Quocumque inciderint lumina, subjiciunt.
Illam devexi montes, vallesque reductae,
Vitiferi colles, umbriferumque nemus,
Illam mi fontes, illam mi roscida prata,
Et picta objectant floribus arva suis;
Nec non & stellis caelum fulgentibus aptum,
Et lata immensi stagna profunda sali.
Illa mihi occurrit, seu nox subvecta quadrigis
Obnubit densis atra polum tenebris;
Seu nimbo contra ningens aurora rosarum
Optatum revehit gratior axe diem.
Illa mihi ante oculos semper versatur imago,
Infixa & menti est altius illa meae;
Ulla unquam ut possit quam vi convellier, atque
Arcte amplexanti decidere ex animo.
An fugiam, mea vita? at quo? aut quaenam fuga longe
Abducat cara me fatis a facie,
Sive ego praepetibus subvectus ad aethera pennis
Siderei scandam lucida templa poli;

Vel

Vel si velivola findens vada salsa carina,
Sistar in ignotis advena littoribus?
Quo me cunque feram, fugienti instabis amanti,
Atque occursabit Numen ubique tuum.
Tu mare, tu terras, tu caelum numine comples;
In toto nullus te vacat orbe locus.
Tu caelo signorum obitus moderaris & ortus;
Imperio parent aequora lata tuo;
Paret & extremo, trans littora transque refusum
Oceanum, tellus siqua sub axe jacet.
Quid? si digressus caelo, terrisque relictis,
Infernas subeam, pallida regna, domos.
Illic Numen ades; vindex & foeda nocentum
Aeternis plectis crimina suppliciis.
Quo me igitur vertam? aut misero quid denique restat,
O! mihi luce ipsa carius atque anima,
Quam propera duros tandem finire labores
Morte? modus tantis mors erit una malis.
Tales, flammato fundens suspiria corde
Saucius heu! nimio pectus amore Puer
Edebat gemitus, & fletibus ora rigabat,
Nec sat consilii, nec rationis erat.
Qualis Carpathio puppis deprensa profundo,
Cum subito nubes eripit atra diem,
Incubat & ponto nox atra, ferocior Eurus
Hinc fremit, oppositis viribus hinc Boreas,

Miſcentur maria, atque imis furit aeſtus arenis;
Illa anceps medio fluctuat Oceano.

S. ALOYSII GONZAGAE

MORIENTIS VOTA.

VIII.

Qualis Maeonii cygnus prope ſtagna Cayſtri
Arguto moriens dulcius ore canit;
Ore canit; preſſo circum ſilet aura ſuſurro,
Proxima nec tremulis ſylva ſtrepit foliis;
Ille modos liquido fundit de gutture, donec,
Paullatim vita deficiente, cadat.
Talis Aloysius, ſupremo in funere, blando
Auditus ſolito eſt blandius ore loqui.
Non illum tenuit periturae cura ſalutis;
Major quippe alto in pectore cura ſedet.
Obvia non illum mors terruit; horrida quanquam
Et vultu, & ſaeva falce tremenda foret;
Quin etiam ignavam, & nimium in ſua funera lentam
Arguit, ingratas increpuitque moras.
O! qui me exemptum vinclis & carcere caeco
Cognati ſupera ſiſtat in arce poli.
Aurea concilio ſedes ubi culta piorum
Fervet, & aeterna luce coruſca nitet.

Non

Non illic curae insomnes, non tristia bella,
Non dolor assiduis uvidus a lacrymis;
Sed secura quies, tranquillae & gaudia mentis,
Et pax felices incolit alma plagas.
Ah! valeat quisquis vitae infelicis amore,
Posthabita antetulit exsilium patria,
Et feram curas producere ad usque senectam,
Et potuit longae taedia ferre morae.
Non, mihi centenos si quisquam spondeat annos,
Tithonique aevum Nestoreosque dies,
Mutare oblata praesentia funera vita,
Hac vel proposita conditione, velim.
Felices primae quos ipso in limine vitae
Vix sacro ablutos flumine mors rapuit;
Qualis virgineo mollis rosa carpitur ungui,
Cum nondum picti claustra sinus reserat.
Hos non infestis trajectos corda sagittis
Impuris ussit turpis Amor facibus.
At nunc securi caelo blanda otia ducunt,
Otia perpetua continuanda die;
Candentemque agnum candenti in veste sequuntur,
Et laeti Divum limina concelebrant.
Quando erit ut terris translatus ad astra relictis,
Et comes aligeris additus agminibus,
Ipse etiam optato jucundae munere pacis,
Et vita incipiam nobiliore frui.

Nempe ea, quae certo non eſt obnoxia letho,
Et quae divino ſemper amore alitur;
Quae vigiles neſcit curas, ea vita vocanda;
Et votis digna eſt omnibus una peti.
Ergo age flebilibus tandem exorata querelis,
Quas tibi ſincero fundimus ex animo;
Huc ades, o bona Mors, rerum dulciſſima, meque
Ereptum inviſo transfer in aſtra ſolo.
O felix patrio quae me lux addet olympo!
Praepetibus vehat hanc Lucifer almus equis.

JOANNIS MARIAE,

PARTHENII FRATRIS,

AD CONSTANTIAM SOROR
EM

SACRARUM VIRGINUM COLLEGIUM INGRESSURAM.

TEmpus adeſt; quid adhuc fruſtra retinemus amantem?
Optatas ſubeat caſta puella fores.
Non, ſi quis ſocios ſuſpiret turtur amores,
Agrorum hunc molles deliciae capiant;
Gramina ſed fugiens loca ſola ſilentibus umbris
Pervolat, & mediis ingemit arboribus.
Sic Virgo inſigni comitum ſtipata corona
Nunquam oculos caro dimovet hoſpitio. Te-

Tecum una properat latebris sese abdere iisdem,
Jampridem sacros nacta Soror (*a*) thalamos.
Quanquam has non illi Soror aflat pectore flammas,
Divus Amor mentem hanc auspiciumque dedit.
Divus Amor docuit complexum atque ora parentum
Alverni duris posthabuisse jugis.
Non illi quisquam titulos offerre superbos
Audeat, aut blandi delicias thalami;
Illam alii alliciunt thalami; Sponsus rapit ille,
Qui sibi conjugio vovit utranque sacro.
Felices animae castos conjungite amores,
Quos beet aeterno foedere divus Amor.
Vos Patria aspiciens mirabitur, & sibi dicet;
Quam magna e nostro est praeda petita sinu!

(*a*) Praeivit in servandae virginitatis proposito, & claustralis vitae exemplo Lucia, subsequuta est Constantia, his tertia accessit Catharina; primae duae S. Francisci, haec S. Teresiae amplexata est Institutum.



JOAN-

JOANNIS POMPEJI MANZOCHII

AD

JOSEPHUM MARIANUM

PARTHENIUM

Ut defleto jam satis Caeciliae Somentiae Parentis optimae funere, carmen suum de Machina, ut ajunt, Electrica tandem edat.

Etsi me gelidus circum praecordia sanguis,
Nec satis aoniis apta senecta modis
Jam moneat versus & ludicra ponere, caestus
Trinacrium perhibent ut posuisse senem;
Attamen haud potui (neque enim fas esse putabam)
Abnuere hoc sanctae munus amicitiae.
Scilicet, ut si qua possem, te, dulcis amice,
Solarer grato carminis alloquio,
Defixamque alte moesto sub pectore curam
Eximerem, atque pio fungerer officio.
Edere nam vulgo dum carmina docta parabas
Aetatis nostrae grande futura decus;
Jamque metu posito tandem, victoque pudore
Plus aliis de te, quam tibi credideras;

Pie-

Pierides dum serta parant pulcherrima, Vatis
    Mantoi sacras cingere digna comas;
Heu! dulce hoc studium eripuit materna tibi mors,
    Expulit atque omnem pectore laetitiam.
Nec lacrymis caruere genae, dum cara recursat,
    Qua tibi nil poterat dulcius esse, Parens,
Osque illud bande arridens, & gratia fandi,
    Plurimus & nulla cultus ab arte decor,
Et genus (a) & mores casti, & sollertia mentis,
    Junctaque inofensae forma pudicitiae;
Et super haec, sobolem pietas quae fluxit in omnem,
    Dum sapiens, alios quod monet, ipsa facit.
Quae memori tecum volvis dum singula mente,
    Jucundis moeror sevocat a studiis;
Nec finit ingenii dulces expromere foetus
    Perfusum tristi pectus amaritie.
Nec vero arguerim, tali quod Matre carentem,
    Dum bona tot recolis, cura dolorque premat
Non hos ipsa tibi Mater mitissima sensus
    Indidit; exemplis non ita te erudiit
Ipsa suis, nullo ut suffundens lumina fletu
    Maternas venias durus ad inferias.

Sed

(a) Cremonae nata an. 1689. 30. Januarii, pervetusta familia, cujus meminit Antonius Campus Pictor & Eques Cremonensis in sua Patriae Historia, & aliquot ex eadem familia illustres Viros cum laude commemorat. Obiit Pisauri an. 1767. inter diem 24. & 25. Febr. hora noctis septima.

Sed meminiſſe decet, fuerat ſi cauſa dolendi
Juſta tibi, luctu ſat, lacrymiſque datum.
Ergo feret tua ſola tibi jactura dolorem;
Matri parta quies gaudia nulla feret?
Tu gemis; illa alto jam laeta potitur olympo,
Cumque bonis agitat gaudia Caelitibus.
Defuncta aerumnis tandem, defuncta periclis,
Quod cupide optarat, Numine perfruitur.
Nec tamen eſt oblita ſuos. Te ſemper ab alto
Et videt, & magno flagrat amore tui;
Teque ſuoſque omnes exſpectat, & anxia caelo
Stipari denſa percupit a ſobole.
Forſitan iſta tibi videantur fauſta precantis
Verba; ratam ſed habent ſcilicet illa fidem.
Hoc animi pietas ſpondet, ſpectataque virtus;
Hoc morum ſpondet candida ſimplicitas.
Quin terrenae illi quicquam ſi labis inhaeſit,
Objecitque aliquam, dum petit aſtra, moram;
Non longa illa fuit certe mora; nam quid omiſſum
Abs te, quod celerem pandat ad aſtra viam?
Ullane in Urbe tibi reſtat jam ſanctior Aedes (a)?
Ullane in extremae finibus Auſoniae?

Sacra

(a) Adnotari utique debet, quod hic a praeſtantiſſimo hujus elegiaci carminis auctore indicatur. Ea enim Parthenii noſtri erga cariſſimam ſibi genitricem pietas fuit, ut nihil, quod ad ejus animam expiandam conduceret, omiſerit; nec vero omittat, nec in poſterum, quandiu vita ſuppeditabit

tabit

Sacra ubi non fuerit Divinaque Victima, Matri
Quae requiem pareret, rite litata Deo?
Ergo age sume animos, tristes jamque abjice curas,
Et repete abruptum morte Parentis opus.
An terret nostri censura severior aevi,
Et bene quae multos sors miseranda premit?
Nempe obversantur sexcenta poëmata passim,
Exposita heu! misere per fora, perque vias,
Nostrorum vitiosa patrum quae protulit aetas,
Turgida dum nimio fervet ab ingenio.
At modo sub dio squalentia pulvere multo
Se minimo exspectant siquis emat pretio;
Nec tamen inveniunt, puerum nisi forte, venusti
Quem lita frons auro codicis alliciat,
At non fata tuis sunt haec metuenda libellis,
Quos nova materies, pieriusque lepos
Commendant. Stulti non hic tractantur amores,
Quos neque laus colere est, nec cecinisse labor;
Non aulae infidi mores, non mollia ruris
Otia, queis Helicon Pimplaque tota sonat.
Sumant ista sibi, quos non respexit Apollo,
Avia Pieridum nec loca adire sinit.

At;

tabit, omissurus sit. Sanctum Missae Sacrificium in omnibus fere sanctioribus tum Urbis, tum Italiae, tum etiam extra Italiam locis celebrandum pro ejusdem expiatione curavit; quae quidem loca nunc, sexto ab obitu mense nondum expleto, ad trecenta & eo amplius numerantur,

At, quae indicta aliis, conari haec dicere primum,
    Hoc opus; hinc nomen claraque fama venit.
Ergo aliquid, Vir docte, novi quum promere velles,
    Deque argumento carminis ambigeres,
Adfuit ecce tibi cum Pallade pulcher Apollo,
    Vibrantem flammas exhibuitque globum.
Atque haec (mitte aliam sectari incertus & anceps)
    Haec tibi materies carminis, inquit, erit.
Ardua res certe, & lepidae minus apta poësi;
    Ut qui tantum audax aggrediatur opus,
Ille per abruptas cautes, salebrosaque montis
    Per juga, suspenso vix adeunda gradu,
Audeat & choreas agitare, levesque movere
    Ad numerum, veluti plana per arva, pedes.
Horrida sed Sophiae quae nunc dumeta videntur,
    Industri fuerint si modo culta manu,
Vernabunt tibi flore novo, ceu Thessala Tempe,
    Mirata insuetas se dare delicias.
Nunc age, ab Electro quae traxit Machina nomen,
    Ingenio admoveat, quas jacit ipsa, faces.
Non ego, non dextro abfuerit tibi numine Pallas;
    Tu modo ne desis laudibus ipse tuis.
Dixit; & ipse suos tua fudit in ora lepores;
    Ingenio flammas addidit illa tuo.
Haec mihi, si nescis; quae interfuit, ipsa Thalia
    Narrabat. quin & res facit ipsa fidem.

Anne

Anne aliter poteras duras res atque ſeveras
Mollire, & blandis exhilarare modis?
Cenſorum huc opto veniat jam quilibet, etſi
Lagomarſino ſe ferat ille parem;
Omnes Parthenii ſollerti pectore verſus
Exigat ad normam, diſſimuletque nihil.
Quid non Auguſti dignum mirabitur aevo?
Quid non, ipſe Maro quod velit eſſe ſuum?
Res nova ni prorſus, priſciſque haud cognita ſaeclis
Noſtri hujus carmen temporis argueret;
Aequevum Caro quis non putet eſſe, vetuſtas
Caeca quod ad noſtram preſſerit uſque diem?
Neu mihi quis veteres ſic laudet ametque poëtas,
Ut jam ſaecla pares edere nulla queant.
En tibi Parthenius, Phaebo vel judice dignus,
Qui veteres cultu carminis aequiparet.
Hunc igitur praeſens, ſera hunc mirabitur aetas;
Donec honor pulcris artibus ullus erit.

PANEMII CISSAEI P. A.

AD AUCTOREM

EPIGRAMMA.

DUM ſic Naturae veſtigas abdita Vates,
Auſus inaceſſos primus adire ſinus,

Magna


Magna quidem , ut video , paucis & cognita pandis ,
Talia ſed cultis verſibus ipſe facis .
Me certe hi rapiunt mira virtute trahuntque ,
Sic ut ſaepe eadem quae modo lecta , legam .
Qualis deinde nitor ! non his ſplendentior ulla ,
Quae de Sauromatum littore gemma (*a*) venit .
Ludere quin etiam placuit , quo more puſillam
Implicat interdum ſuccina gutta (*b*) feram .
Ut , cum tam nitido cerno me carmine clauſum ,
En , dicam , ſubito muſca revincta gelu .
Atque equidem fierem (*c*) , te laudatore , ſuperbus ;
Non niſi at electri lumine muſca nitet .


(*a*) Electrum ſive ſuccinum intellige , quod a Sarmatico Oceano , ubi ex arboribus pinei generis diſtillans , & mari exceptum indurari dicitur , ad noſtras regiones defertur . Vide Antonium Mariam Grarianum lib. XVI. *de Scriptis invita Minerva tom.2. pag.*138. *edit. Florent.*1746.


(*b*) Vide lepida duo ac venuſta Martialis Epigrammata , primum lib.4. epigr. 59. alterum lib. 6. epigr. 15.


(*c*) Inter Viros illuſtres , qui paſſim hoc in opere cum laude memorantur , perhonorifica etiam da Panemio Ciſſaeo ab auctore mentio fit .





ina Electrica


is Quadrum FranKlinianū
Fig.III.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


alum Electricum


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE